DE IMPERATORE ALEXANDRO SEVERO QUAESTIONES HISTORICAE

QUAM COMMENTATIONEM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM ACADEMIA MONASTERIENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE II. MENSIS MARTII A. MDCCCLXVII
IN PUBLICO DEFENDET
SCRIPTOR

FRANCISCUS IOSEPHUS WAHLE
WINTERBERGENSIS.

MONASTERII
EX TYPOGRAPHIA E. C. BRUNN.

DOMINO REVERENDISSIMO

IOSEPHO WURM

PRAECEPTORI SUO OPTIMO

ET

Dr. IOHANNI FRESE

VIRO IN ARTE MEDICA SPECTATISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.

Cogitabam aliquando res gestas Alexandri Severi, Romanorum imperatoris, conscribere totumque amplecti eius imperii spatium, quippe quod non modo, singularibus huius imperatoris virtutibus ingeniisque aliorum virorum insignibus, verum etiam magnis rerum momentis enitere admodum mihi videretur. Magnum autem meditatus illius temporis spatium quum perspexissem, quot quantaque studia prius essent instituenda, quam rem ipsam aggredi liceret conficiendam, ab illo quidem consilio desistendum mox putabam. Quae enim Tacitus de Germanici morte „vario rumore iactata" pronuntiavit: [1]) „Adeo maxima quaeque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt, et gliscit utrumque posteritate," ad Alexandri quoque Severi res gestas optimo iure referri possunt. Primi

[1]) Tacit. annal. III, 19.

enim qui de hoc imperatore fuse scripta tradiderunt, Herodianus et Lampridius, multifariam inter se discrepant adeo, ut omnis rerum fides in suspicionem venire videatur. Dio autem, quem difficultates excutientibus praelaturum esse facem speraveris, pauca admodum de Alexandri imperio refert, et ubi in describendis rebus ad consulatum suum II. anno 229 gestum pervenit, argumentum plane deserit. — Eutropius vero et Victor nihil fere aliud agunt, nisi res ex scriptoribus historiae Augustae haustas in compendium redigunt, nullo plerumque rerum iudicio, nullo investigandae veritatis studio. — In Zosimo autem aliisque nonnullis Byzantii temporis scriptoribus quamvis et iudicii satis acuti et fidei auctoritatisque nonnunquam indicia emimeant vera et luculenta: tamen propterea quod post longum temporis intervallum ab Alexandro Severo imperante exstiterunt, magis vero propter errores, quibus pleni sunt eorum libri, magna semper cum diligentia est inquirendum, num et quomodo iis debeatur fides. — Quae quum ita sint, non est mirandum, quod recentioris quoque aetatis rerum scriptores in describenda Alexandri vita valde inter se discrepant, dum partim Herodianum, sicut Gibbonus et Niebuhrius, partim Lampridium, ut Tillemontius aliique plurimi, secuti adeo inter se pugnant, ut, quae alter statuit, alteri quam maxime contraria esse videantur. — Itaque, ut iam dictum est, a priore meo consilio totius Alexan-

dri imperii res conscribendi mox abhorrebam. Sed ne totam rem, quae tractaretur, dignissimam plane relinquerem, perpauca et memorabilia de incruento Alexandri Severi imperio inquirenda suscepi; de expeditionibus vero eius bellicis, in quibus enarrandis et veterum et recentiorum scriptorum minime inter se concinant sententiae, fusius disputare constitui.

I.

De anno, quo Alexander natus sit.

Alexander Severus natus est Arcae Caesareae,[1] quae urbs in Phoenice sita est, in templo Alexandri Magni teste Lampridio, qui eum eodem die natum esse refert,[2] quo Alexander Magnus de vita decessisset. Quis autem sit ille dies, ambigunt historici. Bucherius Kalendas Octobres ex vetere Kalendario eruit. (Cf. Eckhel. doctrina numor. veter. VII, p. 267.). Crombachius in historia Urselinarum tom. II, p. 336, ratiocinatur mense Iunio exeunte Alexandrum Magnum diem obiisse supremum. Sed parum perspicue diem obitus Alexandri veteres consignarunt, adeo ut Io. Chrysostomus aperte profiteatur, illum diem certe indicari non posse his verbis: „*ποῦ εἰπέ μοι τὸ σῆμα Ἀλεξάνδρου; δεῖξόν μοι καὶ εἰπὲ τὴν ἡμέραν καθ' ἣν ἐτελεύτησεν.*“ (Homil. XXVI in posterior. in Corinthios.). Itaque hanc rem plane missam faciamus. — De anno quoque, quo natus sit imperator, certatur. Lampridius in Alex. c. 60 refert, imperasse illum per annos tredecim, dies septem, vixisse autem annos undetriginta, menses tres, dies septem; quoniam autem regnare coepit anno 222 p. Chr. n. mense Martio, ut infra planum fiet, natum eum necesse est anno 205 p. Chr. Lampridio autem repugnat Herodianus,

---

[1]) Cf. Ritters Erdkunde XVII, 1, p. 808.

[2]) Lamprid. in Alex. 5.

propterea quod V, 3, 7. tradit, Alexandrum decem annos natum fuisse, quum Elagabalus imperator esset factus. Quum autem Elagabalus omnium consensu historicorum anno 218. ad imperium accesserit, Alexander natus est secundum Herodianum anno 208, nec causa est in promptu, cur Lampridio maior debeatur fides. Herodiani enim error in annis Elagabali, qui quidem Eckhelium[1]) commovere videtur, ut Lampridium hac in re sequatur, non historico accuratissimo, verum librariis, qui in numeris facile labuntur, haud dubie imputandus est, ut dilucide mox demonstrabo. (Cf. No. 4.) Suo autem iure Wietersheimius[2]) Herodiani sequitur auctoritatem; etenim quum initio imperii pro imperatore mater eius nonnullique viri electi rem administrarent, imperatorem etiamtum adolescentulum admodum fuisse verisimile est.

Herodiani praeterea rationi favet Victoris epitome,[3]) secundum quam Alexander anno vitae vicesimo sexto periit; neque enim dubium est, quin imperator anno 235 interfectus sit. — Patre Alexander usus est Gessio quodam Marciano, ut refert Dio LXXVIII, 30; Lampridium autem falli, qui patrem ei fuisse Varium tradit, docebimus, ubi de stirpe Alexandri fusius disputabitur. Mamaea, mater Alexandri, filia erat Maesae, quae soror fuit Iuliae Domnae, imperatoris Severi uxoris.

---

[1]) l. l. p. 268.

[2]) Wietersheim, Gesch. der Voelkerwanderung. Leipzig 1860. Bd. II, p. 218, Anm. 164.

[3]) Victor. epit. c. XXIV.

II.

De stirpe Alexandri eiusque nominibus.

Operae pretium videtur, Alexandri stirpem adcuratius proponere, quippe quae quatuor Augustos totidemque Augustas Romano dederit imperio neque apud veteres solum scriptores, sed etiam apud recentiores valde confusa sit atque obscura.

Nobilissimae deinceps gentis auctorem Bassianum prodit Victoris epitome (c. 21), quum Bassianum (scil. Caracallam) ex avi materni nomine dictum esse referat; quoniam autem Dio (LXXVIII, 24) Iuliam Domnam, Caracallae matrem, ἐκ δημοτικοῦ γένους fuisse tradit, eadem natum fuisse conditione Domnae patrem Bassianum necesse est. E Phoenice autem oriundus erat, vel potius domicilium ibi habuit, quod Herodianus (V, 3) Maesam, illius filiam, e gente Phoenissa natam esse profitetur. Duas ille habuit filias, Iuliam Domnam, imperatoris Severi uxorem, et Iuliam Maesam. Domnae filius fuit Caracalla, qui Bassianus quoque, ut supra diximus, ex nomine avi materni vocatus est, et Geta. Maesa autem testimonio Dionis (LXXVIII, 30) maritum habuit Iulium, virum consularem, cui num cognomen fuerit Avitus, id quod nonnulli colligunt ex loco Dionis (LXXIX, 16), ubi Elagabali avum dictum fuisse Avitum patet, dubium videtur, quum nihil obstet, quominus ex paterno avo Elagabalus nomen Aviti ceperit. Maesa duas peperit filias, Soaemiadem et Mamaeam, quarum Soaemiadi, quae Sex. Vario Marcello nupta erat, Avitum, alteri Bassianum (scil. Alex. Sever.) ex Gessio Marciano marito filium fuisse Dio testatur (LXXVIII, 30).

1*

Lampridius (in Alex. c. 1) Alexandri patrem fuisse Varium commemorat, et Casaubonus [1]) non leve argumentum esse ratus, quod ille patrem Varium nominat, hanc sententiam defendendam suscepit contra ea, quae ipse scripserat in annotatione ad Lamprid. Elag. (c. 1 extr.). Sed amplissimum virum refutat Reimarus ad Dionem (l. l.) argumentans, laudatum Dionis locum, quem ille ab auctore excerptorum esse putat, intemeratum ipsius Dionis esse ex membrana vetustissima. Dioni autem, eiusdem temporis scriptori, maiorem hac in re fidem habendam esse quis non videt? praesertim quum Elagabalo cognomen fuisse Vario constet secundum Lamprid. (c. 1. et 2), quod cognomen ex moribus aevi fortasse a patre ad filium transierat. Itaque non dubium videtur, quin Lampridius, qui saepe de stemmate Alexandri securus ad eius vitam describendam accessit, de Mamaeae marito in errorem inciderit. — Miror autem admodum, quomodo Valesius apud Reimar. ad Dionem (LXXIX, 16) dicere potuerit, „naturalem Alexandri patrem ignorari." Herodianus refert (V, 3, 7) Soaemiadis filium fuisse Bassianum nomine, Mamaeae autem Alexianum, qua in re plane dissentit a Dione, qui narrat (LXXVIII, 30) ex Soaemiade natum esse Avitum, Bassianum ex Mamaea. Herodiano assentiri videtur Iul. Capitolinus in Macrino (c. 9) his verbis: „Huic (scil. Maesae) erant duae filiae, Semiamira et Mamaea, quarum maiori filius erat Heliogabalus, qui et „Bassiani" et Antonini nomen accepit." Res fortasse ita diiudicanda videtur, ut et Elagabalo et Alexandro cognomen fuerit Bassianus, sive utrique ex Caracalla Bassiano, qui pater existimabatur amborum, [2]) sive ex gentis

---

[1]) Casaub. ad. Lamprid. l. l. in s. ed. scriptor. histor. Aug. Lugduni Batav. 1671.

[2]) Herodian. V, 7, 5.

auctore. In eo vero consentiunt Dio et Herodianus, Mamaeae filium vocatum esse Alexandrum, postquam Caesar factus esset; esse autem transnominatum, Dio [1]) prodit, ita praecipiente deo. Sed Dio, quae erant illorum temporum hominumque studia atque ingenia, nimis est proclivis ad miracula ac prodigia, probabiliusque mihi videtur, quod Herodianus refert (V, 7, 5), adoptatum ab Elagabalo iussu Maesae dictum esse Alexandrum, ut certius haberetur filius Caracallae, quippe qui Alexandrum illum Macedonem summopere imitatus esset. (Cf. Herod. V, 7 et Dio LXXVII, 7.) Et dubito an idem lateat in Dionis verbis, si quidem, quod facile fieri poterat, Maesae iussu ac voluntate deus Elagabalo consilium dedit, ut adoptatum adolescentem cognominaret Alexandrum. — Quoniam autem Dio cum Herodiano consentit hac in re, minime fidem habendam esse Lampridio arbitror narranti, [2]) nomen illud ei inditum, quod in templo Alexandri natus esset. — Marcum quoque et Aurelium, quae nomina in numis et inscriptionibus semper exstant, cognominatum eum esse ab adoptione Elagabali, nemo non videt.

Notandus vero est error Lampridii, qui duobus locis (in Alex. c. 12. et 25) commemorat, „ob mirandam singularemque constantiam contra militum insolentiam“ Severi nomen a militibus imperatori inditum esse. Hoc enim esse falsum, insigniter apparet ex primis Alexandri Augusti numis, qui omnes constanter Severi nomen addunt, quo quidem tempore imperator nullum severitatis documentum praestare potuit; id recte docet Eckhelius l. c. p. 281 existimatque, Alexandrum una cum Augusti titulo Severi nomen adoptasse. Quod quidem minime mirum videri potest. Neque enim ex

---

[1]) Dio LXXIX, 17 u. 18.

[2]) Lamprid. in Alex. c. 5.

marmoribus solum, verum etiam ex eius constitutione (cod. II, tit. 1, §. 8): „et quae a divo Antonino, patre meo, et quae a me rescripta sunt“ etc. liquet, ipsum filium Antonini (scil. Caracallae) haberi voluisse. Itaque ex moribus illius aevi nomen sibi imposuit avi vel potius patris, si quidem, ut Eckhelius (l. l. p. 221) affirmat, Caracallae quoque nomen fuit Severus. Adde, quod ingentem rigorem animi et mirandam singularemque contra militum animos constantiam, quamobrem Severi nomen imperatori a militibus datum esse Lampridius refert, in Alexandro prorsus desideramus, ut infra planum fiet. Itaque non dubium videtur, quin duobus istis locis nugas agat Lampridius, ut saepe ei contingit.

Alexandrum quoque Caracallae filium esse habitum, sicut consobrinum eius Elagabalum, iam supra dictum est, idque affirmant Dio (LXXIX, 19) et Herodianus (V, 7, 5). Quod quidem nihil aliud esse nisi inventum a Maesa, callida illa agilique muliere, quo facilius nepotes imperium adipiscerentur, evidenter apparet ex Dionis loco laudato, ubi Dio diserte narrat, Maesam haud ignaram, quem exitum habiturus esset Elagabalus ob ingentem animi vecordiam, hunc, ut qui minime ex Caracalla genitus esset, deseruisse et ad Alexandrum, tamquam vere ex illo ortum, propensiorem se praestitisse. Nemo enim humili loco natus imperio potitus erat Romano, excepto fortasse Macrino, cui Elagabalus opprobrio vertit, [1]) quod quamquam esset de plebe, imperium affectasset. Quid igitur mirum, quod Maesa praeclarissimae filiae famam negligens id potissimum spectavit, ut Alexander quoque, quo facilius imperator fieret, Caracallae filius esse videretur. Itaque et ipse Alexander filium se tulit Caracallae, ut ex constitutione eius supra laudata et inscriptionibus

[1]) Cf. Dio LXXIX, 1.

nonnullis apparet, (cf. Gruteri inscript. 957 al.) et Zosimus[1]) quoque fuisse eum „ἐκ τῆς Σεβήρου γενεᾶς καταγόμενον" profitetur.

III.

Alexandri Severi vita, priusquam imperium nactus est.

De prima Alexandri pueritia pauca admodum habeo, quae dicam. Hoc enim unum ex scriptoribus illorum temporum colligi potest, eum usque ad decimum aetatis annum in patria vitam egisse nec dubitari potest, quin a Mamaea matre optime educatus sit atque instructus. Tum vero, quum decimum annum attigit, si Herodianum sequimur (V, 3, 7), Elagabalus, consobrinus eius, Maesae opera imperator est factus, nec paulo post, quum hic Romam contenderet, Alexander cum Mamaea matre eum secutus est. Duos amplius annos vitam ibi egit privatam. Quum autem Elagabalus ad omne insaniae genus prolapsus turpissime ac probrosissime degeret, neque amplius Romani effrenem hominis istius luxum atque libidinem ferre viderentur, Maesa, mulier imperii avidissima, metuens, ne si quid illi accidisset, ipsa rursus, sicuti post Caracallae necem, vitam privatam agere cogeretur, occasione oblata Elagabalo persuasit, ut consobrinum suum, ipsius nepotem, adoptaret filium Caesaremque declararet; imperatorem ipsum oportere religionibus dei orgiisque divinis vacare, alium

---

[1]) Zosimus I, 11 ed. Bonn.

esse opus, qui res administraret humanas easque consobrino, non alieno esse delegandas.[1] Dio nimium ad prodigia proclivis refert (LXXIX, 17) Alexandrum filium adoptatum imperiique participem factum esse, quod deus Elagabalo id fieri iussisset. Sed fortasse iussu Maesae, ut iam supra dixi, deus imperatori illud videtur suasisse. — Quo anno Alexander declaratus sit Caesar, dissentiunt auctores; Lampridius in Alexandro (c. 1) Macrino mortuo eum appellatum esse Caesarem narrat. At repugnat ei diserte Herodianus, qui dicit (V, 7, 5), Alexandrum iam duodecimum annum ingressum esse, quum adoptatus Caesarque factus esset. Secundum eundem auctorem (V, 3, 7) decem annos natus erat Alexander, quando Elagabalus rerum potitus est; inde igitur apparet, duos per aunos iam regnasse Elagabalum, quum adoptavit Caesaremque fecit consobrinum. Quid? quod filium adoptatum Caesaremque declaratum Elagabalus statim consulem fecit sibique collegam delegit? id quod apparet ex verbis Herodiani (l. l.): *ἀποδείκνυται δὲ Καῖσαρ ὁ Ἀλέξανδρος ὕπατός τε σὺν τῷ Ἀντωνίνῳ* scil. Elagabalo. At vero fasti omnes consentiunt, Antoninum cum Alexandro consulem fuisse extremo ipsius imperii anno. Ergo aut falli Lampridium puto, aut locum eius, quod Casaubonus aliique censent, corruptum esse et spurium, idemque plane mecum sentit Clinton. fast. Rom. (vol. II, p. 42).

Postquam Alexander Caesar factus et in annum insequentem consul declaratus est, teste Herodiano l. l. Elagabalus sua eum docere studia constituit, saltare et tripudiare, postulavitque, ut omnium insaniae suae vecordiaeque generum particeps fieret. Sed Mamaea mater ab omni ista foeditate vindicabat eum abducebatque; nihil habebat antiquius, quam

---

[1]) Cf. Herodian. V, 7.

ut eum omnium disciplinarum scientiam edoceret; quem ad finem summos doctores clam arcessebat virilibusque studiis ac litteris Graecis et Latinis eum imbuebat, adeo ut nihil esset Elagabalo impurius ac foedius, nihil castius et modestius Alexandro. Non est igitur mirandum, quod omnium animos sibi conciliavit optimus adoleccens, omnesque, ut oderant propter vitia impurum Elagabalum, ita propensiores in Alexandrum animos habebant spemque meliorem in puero diligenter ac modeste educato, ut tradunt omnes illorum temporum scriptores.

Quod ubi primum Elagabalus cognovit perspexitque, quanto id sibi periculo esset, poenitebat eum graviter adoptationis et imperii communicati, praeceptores Alexandri partim abegit, partim supplicio etiam affecit testimonio Herodiani (l. l.), quod adoptatum filium corrumperent neque ad ipsius mores eum conformari paterentur. Quin etiam quoquo modo insidias puero struxit; sed ea ipsa res, qua servari posse sperabat, mox ei exitio fuit. Neque enim mater solum, sed etiam Maesa avia, quae ad Alexandrum, ut ante dictum est, in dies propensior erat, custodiebant adolescentulum omnesque prohibebant insidias, quin etiam Mamaea ut militum n Alexandrum animos conciliaret, magnas pecunias militibus dabat distribuendas, ut refert Herodianus (V, 8). Ut igitur imperatori insidiae parum procedebant, honore Caesaris puerum privare voluit nullosque honores, qui Caesari debebantur, ei concessit neque Idibus Ianuariis cum eo, quamvis consul esset declaratus, procedere voluit. Lampridius in Elagabalo (c. 13) etiam ad senatum mandasse eum narrat, ut Alexandro Caesaris nomen abrogaretur; quo prodito ingens in senatu silentium fuisse. Nec felicius Elagabalo rem evenisse, quum ad milites mandasset, ut nomen Caesaris illi

abrogaretur; sed milites diutius ferre imperatorem noluisse, si qua vis Alexandro inferretur.

Herodianus refert divulgatam etiam famam ab imperatore, quasi Alexander moriturus esset, ut cognosceretur, quid de hoc rumore milites cogitarent. Indignabundi milites militarem neglexerunt disciplinam et poposcerunt, ut Alexander in castra duceretur. Elagabalus quum valde metueret, ne oriretur seditio, cum Alexandro in castra venit, ubi illum praetoriani negligentius tractarunt, hunc laetis exceperunt clamoribus. Neglectus atque iratus imperator quum nonnullos quasi auctores seditionis comprehendi iussisset, iustam occasionem oblatam esse milites rati Elagabalum eiusque matrem interficiunt et Alexandrum imperatorem nuncupatum in imperatoriam aulam deducunt. — Non multum ab Herodiano ea de re dissentiunt Dio et Lampridius, quibus, quod ambo idem fere referunt, maiorem fidem habendam esse arbitror. Secundum hos auctores quum Elagabalus optimum illum adolescentem trucidari iussisset, quo quis modo vellet, milites irati seditionem moverunt nec prius quieverunt a turbis, quam homines istos impuros, qui turpiter cum illo degebant, omnes removit, excepto Hierocle, quem ille miserandum in modum reposcebat. Ita quum aegre evasisset incolumis, mox autem iterum apertis insidiis Alexandrum peteret, quin etiam teste Lampridio senatum iussisset urbe decedere „timens ne senatus ad aliquem se inclinaret", cum Alexandro tumultuantibus praetorianis in castra venit. Ubi autem militum animos compesci non posse intellexit, fuga salutem petit, sed deprehensus cum matre occiditur. Cf. Lamprid. in Elagabalo (c. 13) Dio (LXXIX, 19 et 20).

IV.

Quando Alexander imperium adeptus sit.

Quo tempore Alexander ad imperium accesserit, mire discrepant scriptores nec cum nummis et marmoribus bene conveniunt, quin etiam haec antiquitatis monumenta inter se nonnunquam dissentiunt. Ad quam dissensionen componendam quum varii varias et diversas etiam inierint rationes, tot tantaeque occurrunt difficultates, ex quibus me expedire vix posse initio putaverim. Dio (LXXIX, 3) Elagabalo annos tres, menses novem, dies quatuor assignat, quod spatium numerandum est ab infelici Macrini pugna, ut et Xiphilinus et Zonaras et Cedrenus, Glyças quoque, diebus tantum neglectis, faciunt. Macrinus autem secundum Dionem [1]) victus est die VIII. mensis Iunii anno p. Chr. 218; necesse est igitur Elagabalum mortem occubuisse anno p. Chr. 222 die XI. mensis Martii.

Exstat canon paschalis s. Hippolyti anno 1551 Romae inventus, integer atque incorruptus, a Ios. Scaligero in libro septimo emendationis temporum publicatus, in quo legitur: „*ἔτους α̅ βασιλείας Ἀλεξάνδρου αὐτοκράτορος ἐγένετο ἡ ιδ̅ τοῦ πάσχα εἰδοῖς Ἀπριλλίαις σαββάτῳ, ἐμβολίμου μηνὸς γενομένου.*“ etc. scite amplissimus ille vir, Ios. Scaliger: [2]) „Ut XIV. Luna incidat in Idus Apriles sabbato, eo saeculo non potuit contingere nisi anno Christi Dionysiano CCXXII nu-

---

[1]) Cf. Dio LXXVIII, 39 ed. Reimarus.

[2]) Cf. Ios. Scaligeri animadvers. ad thesaur. tempor. Eusebii Amstelod. 1658 p. 233.

mero aureo XIV. cyclo solis VII. litera Dominicali F." Qui canon quum Idus Apriles anni 222 cum primo Alexandri imperii coniungat anno, Dionis numerorum rationi admodum favet. — At Herodianus (V. 8 extr.) in sextum imperii annum progressum esse Elagabalum tradit eiusque sententiam firmare videntur numi quidam Elagabali Tribun. potestate V. inscripti, quam potestatem Elagabalus, si, secundum Dionem, quarto imperii anno interfectus est, nullo modo attingere potuit.

Virginius Valsechius in dissertatione altera de initio imperii Alexandri Severi (ed. Florentiae 1715, recensita in Actis Eruditorum 1719 p. 313 sq.) Dionis sententiam retinendam censet cum eaque numos Elagabali Trib. pot. V. insignitos in hoc conciliat modum. Ac primum Antonini Caracallae filium et Severi nepotem se dixisse Elagabalum profitetur eaque re legitimum Caracallae successorem; quum igitur Macrino, iniusto usurpatori, Elagabalus imperium eripuisset, nomen imperii eius e fastis eum erasisse et memoriam illius studuisse abolere; inde factum esse, ut ille imperii initium inde a Caracallae morte deduceret, id est teste Dione (l. l.) a die VIII. mensis Aprilis anno 217. Hoc Dionis potissimum probari testimonio, qui [1]) milites a Macrino defectos ad Elagabalum hunc revera Caracallae filium eiusque legitimum successorem dixisse refert. Ita fieri potuisse, ut expuncto e fastis Macrini nomine ipsiusque Elagabali pro illo substituto hic Trib. potest V. attingeret.

Pagius in critica ad Baronii annales eccles. (tom. II p. 458 ed. Lucae) ab anno 217 vel potius a Kalendis Ianuariis anni 218, quo appellatus est imperator, Elagabalum imperii annos numerasse statuit. Sed perstringit eum Valsechius

[1]) Cf. Dio LXXVIII, 33

(l. l. c. 10) eiusque numorum expositionem plane refutat, quod nunquam aliter Romanorum imperatorum anni quam a natali imperii die numerati sint.

Aliam diversamque iniit rationem ad numos cum Dionis sententia conciliandos I. Vignolius, custos bibliothecae Vaticanae, in dissert. de anno I. imperii Severi Alexandri Augusti (Rom 1712. 14. 2 Part.). Ac primum Valsechii sententiam multis argumentis refutare studet. Quod Elagabalus Antonini filium et Severi nepotem itaque legitimum Caracallae successorem se dixerit, non esse causam profitetur, cur, quod imperii spatium Macrinus transegerit, id sibi tribuere possit, praesertim quum imperante Macrino neque Caesar dictus neque, quod quis coniicere liceat, pro Caracallae filio habitus sit. Sed vir doctissimus meminisse non videtur vecordiae insaniaeque illius imperatoris, cuius in rebus gestis iustam plerumque causam desideres.

Iam vero Vignolius quamvis tanto in Macrinum odio Elagabalum flagrasse profiteatur, ut ille annum, quo imperium adeptus est, consulatu Macrini signari nollet, quin etiam nomen eius expungeret e fastis, tamen fieri potuisse non putat, ut annuum Macrini imperium, consensu militum et senatus auctoritate gestum, sibi Elagabalus vindicaret. Sed haec quoque eius sententia parum mihi videtur probabilis. An vero senatus et populus et milites effrenem illius luxum libidinemque ac foedissima ipsius sociorumque vilium scelera, quae omnem fidem superant, per triennium tulerunt nec obstare ausi sunt: rem momenti exigui et nullius detrimenti — neque enim quidquam aliud erat, si Elagabalus annuum Macrini imperium sibi vindicavit — non pertulerunt? praesertim quum novum quemlibet imperatorem senatus omnibus afficere consuevisset honoribus? Itaque minime mihi probatur Vignolii sententia, haud feliciter Valsechium ea in re operam

posuisse. Ipse autem Vignolius arbitratur inde a die XVI. Maii anni 218 imperio praefuisse Elagabalum mortemque eius in anni 222 mensem Maium ita reiiciendam esse, ut post Idus Maias e medio sublatus quintum imperii annum attigisse statuatur; in Dione igitur numeros partim transpositos, partim depravatos esse et pro „ἔτεσι τρισὶ καὶ μησὶν ἐννέα καὶ ἡμέραις τέτταρσι" legendum esse: „ἔτεσι τέτταρσι καὶ μηνὶ ἑνὶ καὶ ἡμέραις τρισί". Ita planum fieri, quomodo, quum Elagabalus revera quintum imperii annum ingressus sit, tribun. eius pot. quintae locus relinquatur. Herodianum autem scripsisse non εἰς ἕκτον, sed εἰς πέμπτον ἔτος; canoni autem Hippolyti paschali non ab ipso auctore, sed post mortem eius a curatore canonis annum primum imperii Alexandri adscriptum esse. O audacem profecto opinionem, itaque minime probandam, etiamsi Eusebii chronicon, cum quo faciunt Orosius et Cassiodorus et Nicephorus, quattuor annos Elagabali imperio assignat.

Aliter rationem numorum Elagabali, qui negotium facessunt viris doctis, explicandam censet Philippus a Turre, episcopus Adriensis, in dissert. de annis imperii M. Aurelii Antonini Elagabali (Patavii 1713 ed.). Hic vir doctissimus Dionis de annis Elagabali imperii verbis minime vim inferendam esse ratus, tantum tamen abest, ut in Valsechii castra coeco impetu transeundum esse putet, ut eius ipsius sententiam impugnet, professus numos tribun. potest. V. Elagabali praeferentes aliquot diebus ante inchoatum imperii anni quintum assignatos esse. Sed praeclare eum perstringit Vignolius (l. l.), quum ea res omni destituatur exemplo atque eo incredibilius sit, quod senatus tanto in Elagabalum odio flagraverit, ut cusos numos, nisi Elagabalus supervixisset, minime in publicum prodire passurus fuisse videatur.

His fere modis viri illi doctissimi numos Elagabali tri-

bun. potest. V. inscriptos explicandos esse censent. Quod autem Herodianus (V, 8 extr.) Elagabalum sextum imperii annum attigisse refert, omnes errorem, qui in illum locum irrepserit, corrigendum et librariis, qui in numeris facile labuntur, imputandum esse consentiunt, excepto Valsechio, qui secundum suam ipsius expositionem numorum Herodiani sententiam cum Dione conciliat, quum inde a die XIII. Aprilis anni 217, quo Caracalla occisus est, usque ad mensem Martium anni 222, fatalem Elagabalo testimonio Dionis, sex anni, licet utrimque incompleti, fluxerint. Errorem autem in illum Herodiani locum irrepsisse iure inde confirmatur, quod nemo scriptorum illustrem auctorem Herodianum sequitur, totidem annos imperio Elagabali assignando, et ne Graeci quidem scriptores, qui Herodiani vestigia maxime semper sequuntur. Hoc autem discrepant viri docti, utrum Herodiani *εἰς ἕκτον* in *εἰς πέμπτον* mutandum sit, ut Vignolius vult, an in *εἰς τέταρτον*, ut contendunt, quicumque Dionis auctoritatem stare volunt. Miror admodum, quod nemo ex multis et doctis illis viris, qui de Elagabali imperii annis disputant, videtur animadvertisse, ex Herodiani libri V. contextu dilucide apparere, errorem sine dubio in locum illum (V. 8 extr.) irrepsisse, et ita quidem, ut *εἰς ἕκτον* mutandum sit in *εἰς τέταρτον*, itaque tantum abesse, ut Herodianus impugnet Dionem, ut huius de Elagabali imperii annis verborum auctoritatem luculenter affirmare videatur. Etenim si ratione et cogitatione Herodiani librum quintum perlegerimus, dubitari non poterit, quin secundum hunc auctorem quadriennium vix Elagabali imperium attigerit. Nam quo tempore Elagabalus ad imperium accessit, hunc quatuordecim annos natum, Alexandrum autem decimum annum ingressum fuisse Herodianus tradit. Sic enim legitur (V, 3, 7), ubi scriptor milites a Maesa sollicitos atque corruptos seditionem illam adversus Macrinum movisse nar-

rat, qua Macrino victo Elagabalus imperium nactus est: „ὁ μὲν Βασσιανὸς (sc. Elagabal.) περὶ ἔτη γεγονὼς τεσσαρεσκαίδεκα, ὁ δὲ Ἀλεξιανὸς (sc. Alexander) δεκάτου ἔτους (alii δέκατον ἔτος) ἐπιβεβηκώς.“ Ex alio autem Herodiani loco apparet, Alexandrum adoptatum ab Elagabalo et Caesarem factum esse tum, quum duodecimum attigisset vitae annum. Quum enim Elagabalus ingressus esset senatum, ut haec rata faceret, omnibus qui aderant hoc ridiculum visum est secundum Herodianum (V, 7): „πατέρα μὲν ἐκεῖνον (scil. Elagabalum) δοκεῖν ἔτη γεγονότα περί που ἑκκαίδεκα, τὸν Ἀλέξανδρον δὲ υἱὸν τοῦ δωδεκάτου ἐπιβαίνοντα.“ Sequitur ergo, ut Elagabalus per duos annos imperaverit, quando adoptavit consobrinum et Caesarem fecit. — Iam vero Herodianus refert, Alexandrum Caesarem factum statim declaratum esse consulem cum Elagabalo, videlicet in annum insequentem. „Ἀποδείκνυται δὲ Καῖσαρ ὁ Ἀλέξανδρος ὕπατός τε σὺν τῷ Ἀντωνίνῳ (sc. Elagab.) cf. Herod. (l. l.)“. Omnes autem fasti, ut ante dictum est, consentiunt, Elagabalum cum Alexandro consulem fuisse semel tantum idque quidem extremo illius ipsius imperii anno, et Lampridius quoque in Elagabalo (13) commemorat, Elagabalum cum consobrino Kal. Ianuariis procedere noluisse, quum simul tum designati essent consules, sed non ita multo post Elagabalum a militibus impetu facto trucidatum esse.

Quum igitur, id quod nemo negat, Elagabalus quartum suum consulatum, quando Alexander primum erat consul, non peregerit morte praeventus, dubitari non potest, quin ab adoptione Alexandri usque ad necem Elagabali duo tantum anni, utrimque incompleti, fluxerint. Est autem Alexander adoptatus ab Elagabalo, quo tempore hic, ut supra ostendimus, per duos iam annos imperaverat. Inde vero dilucide apparet, Herodianum non quinquennium vel etiam sexennium, sed

vix quadriennium Elagabali imperio assignare. Quid? quod Elagabalus cupiens adoptatum filium sua docere studia, quum ille a foedis imperatoris sceleribus abhorreret, tanto mox in Alexandrum odio flagravit, ut maximopere eum poeniteret adoptionis illeque adolescentulum Caesarem et clandestinis et apertis peteret insidiis, quamdiu vixit, ut testis est Herodianus (V, 7)? Nonne insigne id est argumentum, non multum interesse spatium inter adoptionem Alexandri et Elagabali necem? Neque enim verisimile mihi videtur, rerum statum illum, quem propter Elagabali in Alexandrum odium insidiasque Romae fuisse Herodianus refert, per magnum temporis spatium esse potuisse. Quae quum ita sint, quis est qui neget, apud Herodianum (l. l.) in numero „εἰς ἕκτον" errorem agnoscendum, sed sic corrigendum esse, ut pro εἰς ἕκτον legatur εἰς τέταρτον. Ita Herodiani de Elagabali annis numerorum ratio cum Dione, quantum potest, in concordiam redacta est.

Favet igitur Dionis numerorum rationi illustris Hippolytei monumenti auctoritas, favet etiam Herodianus, ut fusius demonstravimus; eo magis reiicienda est Vignolii sententia, quam magna ex parte supra iam refutavimus. Quod autem Dionem numi Elagabali tribunitia potestate V. inscripti videntur urgere, omnium probabilissima mihi videtur una cum Gibbono [1]) et Reimaro [2]) Valsechii sententia, tribunitiae potestatis originem inde a Caracallae nece ab Elagabalo repetitam esse, id quod doctissimus ille vir multis et luculentis persequitur argumentis. Quamvis autem licet exempla congerantur raptorum imperiorum, quorum annos legitimi suc-

[1]) Gibbon: Gesch. der Abnahme und des Verfalls des roemischen Reiches, uebersetzt vou C. W. v. R. Wien 1790 Bd. I p. 245 Anm. 61.

[2]) Reimar. annot. ad Dionem Cass. (LXXVIII. 41).

cessores, qui postea in regnum restituti sunt, neutiquam sibi vindicarunt, minime tamen, ut mihi quidem videtur, probare possunt, Elagabalo ob id non licuisse Macrini imperii annos sibi ipsi attribuere. In homine tantae tamque singularis vecordiae non quaerere licet iustam ordinariamque causam vel morem aevi.

Atenim vero Elagabalum, cuius dies fatalis secundum Dionem in diem XI. mensis Martii incidit, Idib. April. eiusdem anni etiam tum vivum statuamque dedicantem perhibet marmor quoddam Panvinianum, quod Gruterus (l. l. p. 85) producit. Sed marmor Hippolyteum, quod iisdem Idibus Alexandrum, ut dixi, iam regnantem facit, illi Panviniano longe praeferendum censet Philippus a Turre, qui Panvinianum illud, quum adversa marmori s. Hippolyti complectatur, multis modis suspectum reddit in dissert. sua laudata.[1]).

Iam vero obiiciuntur acta senatus pridie Nonas Martias apud Lampridium in Alexandro (l. c. sq.), secundum quem auctorem hoc ipso die Alexander interfecto iam Elagabalo rogatur, ut Antonini et Magni nomen ad se deferri patiatur, quare liquere Pagius existimat (l. l. p. 466), die V. mensis Martii anni 222 iam caesum fuisse Elagabalum. Sed haec acta senatus non ad annum 222, sed ad sequentem pertinere evidenter ostendit Vignolius in dissert. laud.,[2]) et Tillemontius Pagium multis et luculentis perstringit argumentis, ut dubitari non possit, quin haec acta senatus non necessario ad annum 222 referenda esse videantur.[3]) Et profecto ut omittam gravissimas illas, quas Tillemontius affert, causas, non

---

[1]) Cf. acta eruditorum 1714 p. 309.

[2]) Cf. Reimar. ad Dion. (LXXVIII, 41).

[3]) Tillemont: hist. des empereurs Bruxelles 1712 n. 11 in Elagab.

argumenta petenda esse puto ex incomposita orationis serie scriptoris, qua scriptores historiae Augustae saepe laborant. [1])

Sensuum enim cohaerentia in Lampridii loco citato talis videtur, ut, quamquam auctor orationem illam pridie Nonas Martias habitam a principio, simulatque Alexandrum factum esse imperatorem narravit, in medium profert, minime tamen liqueat, primis imperii initiis ab Alexandro illam orationem habitam esse. Inde enim a capite V. scriptor nomina profert et explicat, quae Alexandro a prima pueritia data sunt. Cui nominum explicationi apte addit, Alexandrum nomina Antonini et Magni recusasse, atque interesse putat retexere orationem, qua ille haec nomina a senatu sibi delata recusavit, ut planum fiat, modestia in Alexandro, quam in capite iam IV. praedicarat scriptor, quanta quamque fuerit singularis. Statim addit Lampridius (c. 12) nomen Severi Alexandro „ob ingentem vigorem animi et mirandam singularemque constantiam contra militum insolentiam" inditum esse [2]).

Inde apparet, scriptorem inde a capite V. usque ad caput XII. nihil aliud egisse, nisi ut omnia deinceps nomina, quae Alexandro data sunt, enumeraret explicaretque, itaque suo loco orationem illam retexeret. Quid autem obstat, quominus senatus haec nomina Antonini et Magni anno 223, ut Vignolius efficere conatur, vel posteriore etiam anno detulisse Alexandro videatur? An vero putas Lampridium quoniam Severi quoque nomen memorat initio Alexandri imperii, iudicare potuisse, primo imperii anno vel potius, ut Pagius vult, die imperii primo, quo ille nullum severitatis documentum praestare potuit, hoc nomen Alexandro datum esse? — At vero Pagii sententiam affirmat lex, quae data videtur die VIII.

---

[1]) Cf. Kritik derselben von Dircsen, Leipzig 1842 (p. 55 sq.).

[2]) Hoc falsum esse, iam supra demonstravimus.

mensis Martii anni 222 et Alexandrum iam imperantem facit. Sed inter omnes constat, in chronologia legum auctoritatem minime valere; et reapse alia exstat lex data ab Alexandro die III. mensis Februarii, cuius auctoritatem et ipse Pagius aspernatur [1]).

Neque Dionis numerorum rationi obstare Lampridium, Eutropium, Victorem, Elagabali imperio vix triennium assignantes, diserte docet Valsechius (l. l.) demonstrando, illos ad tempus tantum respexisse, quo Romae moratus est Elagabalus. Namque, ut omnes consentiunt auctores, ille imperium nactus non statim Romam est profectus, sed diu in Asia moratus. Mitto hoo loco scriptores Byzantios, qui dicuntur, qui saepe imperatorum Romanorum annos confundunt in iisque falluntur, velut Cedrenus [2]) quidem Macrino octo imperii annos assignat, quum ille annum dumtaxat ac menses duo imperaverit [3]), demptis tribus diebus.

Quae omnia quum ita se habeant, Dionis non reiiciendam esse auctoritatem persuasum habeo, sed secundum ipsius verba saepe laudata necem Elagabali et inchoatum Alexandri imperium ponenda die XI. mensis Martii anni 222.

Plane mecum sentit Gibbonus, scriptor ille sagacitate et gravitate clarissimus, qui loco supra allato de tempore Elagabali necis a Dionis auctoritate minime recedendum censet itemque amplissimus ille vir, Reimarus (l. l.); nec aliter opinatur Tillemontius (l. l. artic. III).

Et profecto hac in re plurimum per se valere oportet Dionis auctoritatem. Etenim vidit is scriptor, quae memoriae tradidit et omnia se summa diligentia consignare ipse

---

[1]) Cf. Tillemont. l. l. not. VI in Elagab.

[2]) Cf. Cedrenus ed. Bonn p. 449:

[3]) Gf. Dio LXXVIII, 41.

profitetur.[1]) Tempora vero diligenter adnotavit adeo, ut accuratissimus in adnotandis praeter annos mensibus etiam atque diebus esse videatur.

V.

De Alexandri imperii principio.

Interfecto, ut aute dictum est, Elagabalo milites Alexandrum quum imperatorem declarassent, in aulam palatinam deduxerunt adolescentulum admodum;[2]) decimum enim quartum vitae annum secundum Herodianum, ut antea probavimus, ille tum ingressus erat. Senatus populusque Romanus, quae eius erat in Alexandrum benevolentia, nuncupatum imperatorem laetis salutavit clamoribus, et omnes uno eodemque die amplissimae dignitates ad eum delatae[3]) sunt. In hoc tamen sine dubio Lampridius errat, quod „novo exemplo" omnes uno eodemque die honores Alexandro delatos esse refert. Nam Tacitus memoriae[4]) tradit, quum Otho militum arbitrio imperator factus esset, patres adcurrisse et Othoni simul et tribunitiam potestatem et nomen Augusti et omnes principum honores decrevisse, uno eodemque, ut facile apparet, die; idemque Pertinaci contigisse refert Iul. Capitolinus in Pertinac. (c. 5.)

---

[1]) Cf. Dio LXXX, 1.

[2]) Cf. Herodian. V, 8. extrem.

[3]) Cf. Lamprid. in Alex. 1 u. 2.

[4]) Tacit. histor. I, 47.

Alexandro autem ubi ad imperium accessit, insignia tantum et nomen imperii erant; Mamaea mater et Maesa avia, quarum potissimum opera imperator servatus et imperium nactus erat, rem Romanam administrarunt. [1]) Quum autem Maesa, mulier extremae senectutis, non ita multo post diem obiisset snpremum, omne imperium ad Mamaeam transiit. Haec mulier singularibus praedita virtutibus iam inde ab initio id potissimum spectaverat, ut filium quam optime educaret, quumque ille adoptatus esset ab Elagabalo, omnem, ut diximus, dedit operam, ne adolescens a virtute ad vitia deflecteret Elagabali. Ubi autem Alexander ad imperium promotus est, Mamaea haud ignara, quot quantaeque illecebrae adolescentulo essent imperatori, maximumque esse periculum, ne adulatores mores eius corrumperent animumque depravarent, Ulpianum aliosque viros optimos Alexandri instituit praeceptores neque quemquam, qui ob improbam vitam male audiebat, solum ad illum procedere passa est. [2]) Hinc admiranda et singularis illa Alexandri modestia, hinc legum observantia, hinc probitas, hinc iustitia, hinc humanitas, in quarum virtutum laudibus multus est vitae eius scriptor, quocum plane consentit Herodianus, qui profitetur (VI, 2), Alexandrum per tredecim annos quam maxime imperium gessisse „ἀμέμπτως.“ Ut hoc unum in medium proferam, Lampridius in Alex. (c. 51) narrat, praeclarissimum illud Christianorum: [3]) „Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris,“ adeo Alexandro placuisse, ut et in Palatio et in publicis operibus hanc sententiam praescribi iuberet; omninoque multis Christianorum praeceptis tantopere indulsit, ut fuerint, qui eum

---

[1]) Herodian. VI, 1., Dio LXXX, 1.

[2]) Cf. Herodian. (VI, 1.)

[3]) Cf. Evang. Matth. 7, 12. Tobias 4, 16.

fuisse Christianum putarent. Sed Heynius, vir ille amplissimus, quum ex Alexandri ingenio, ut ipse profitetur, atque institutione, tum ex ipsa temporum ratione hominumque seu studiis seu iudicibus ducta, demonstrare conatur, Alexandrum Christianas religiones et sacra, si non adoptasse, tamen probasse, etiam forte de conciliandis consociandisque religionibus Christianorum cum patriis cogitasse, ut non modo libere colerentur istae, sed etiam eodem loco cum his haberentur; non tam inde tuto colligi, voluisse eum patrias religiones deserere et in Christianorum castra transire; ne hoc quidem pro explorato haberi necesse esse, eum praecipue aliquo studio in religiones Christianas proniorem fuisse aut omnino proprium aliquod iudicium hac in re secutum esse. [1])

Hoc autem unum scriptores in Alexandro vituperarunt, quod nimis obnoxius erat matris voluntati. [2]) — Neque vero solum propterea, quod Mamaea filium praeclare instituit optimumque reddidit principem, totius orbis terrarum imperium per tredecim annos sancte atque integre administratum est, restat alia quoque causa, de qua uberius disputare operae pretium videtur.

VI.

De Alexandri principis consilio, quo utebatur in republica administranda.

Dio memoriae tradit (LXXX, 1), Mamaeam ubi rerum administrationem accepisset, e senatu viros praestantiores sibi

---

[1]) Cf. Heyn. Alex. Severi religiones miscellas probantis iudicium P. I. u. II. in opusc. acad. VI. p 169—210 et epimetra duo —229.

[2]) Cf. Herodian. VI, 1. extrem.

elegisse, quibuscum res administrandas omnes communicaret. Plane cum Dione sentit Herodianus, qui consiliarios sedecim numero fuisse addit (VI, 1). Eandem rem attingit Lampridius in Alexandro (c. 15): „negotia et causas prius a scriniorum principibus et doctissimis iuris peritis, quorum primus tunc Ulpianus fuit, tractari ordinarique atque ita referri ad se praecepit.“ Idemque ibidem (c. 16): „Leges de iure populi et fisci moderatas et infinitas sanxit neque ullam constitutionem sacravit sine viginti iuris peritis et doctissimis ac sapientibus viris iisdemque disertissimis non minus quinquaginta, ut non minus in consilio essent sententiae, quam senatus consultum facerent.“ — Octavianus Augustus, simul ac rerum potitus est, excellentium virorum consilium primus Romae sibi instituit, in quo de rebus administrandis ageretur testimonio Dionis (LIII, 21). Principio quidem auctore Suetonio in Octaviano (35) hoc consilium videtur institutum fuisse, ut de negotiis ad senatum referendis ante tractaretur; quapropter fortasse existimandum videtur, primo hoc consilium maiore ex parte constitisse ex ipsis senatoribus iisque quidem praestantioribus. Sed Augustum iam non de senatu solum, verum etiam de equitibus consiliarios sibi selegit, ut Maecenatem aliosque, et omnes dicti sunt amici et comites Augusti; quin etiam infitiari non possumus, Maecenatem illum ab equite oriundum principem in hoc consilio locum obtinuisse. Non ita multo post quum reipublicae instituta dignitatesque magis magisque abolerentur, factum est, ut consilii illius decreta ad frequentem senatum iam non referrentur, ad quam rem illud in codice Theodos. (VI, 22. 8. §. 1): „admitti intra consistorii arcanum“ videtur referendum. [1])

---

[1]) Cf. Die roemischen Staatsalterthuemer von Becker u. Marquardt. Leipzig 1845. 2. Th. 3. Abtheil. p. 230 u. f.

Ab Hadriano quoque tale consilium institutum fuisse scriptores tradunt, quod tamen consilium, cui Hadrianus ipse praefuit, aliter compositum erat, atque Augusti, ut diserte docent Dio (LXIX, 7.) et Spartianus in Hadriano (c. 18.), quum his testibus Hadrianus iuris peritos imprimis consilio suo adhiberet. Quid mirum, quod ante omnia potestas ius dicendi huic consilio delata est? ut apparet ex Spartiano in Hadriano (22.): „causas Romae atque in provinciis frequenter audivit (sc. Hadrianus) adhibitis consilio suo consulibus atque praetoribus et optimis senatoribus.“ Qua potestate iudicandi consilium principis functum esse Alexandro Severo imperante coniicere licet, quum Lampridius in Alex. (c. 21.) nobis tradat, ab Alexandro praefectis praetorio senatoriam dignitatem additam esse, ne quis nisi senator de senatore iudicaret, ex quo loco apparet, praefectis praetorio, qui principis consilio, ut demonstrabimus, praeesse consueverant, potestatem etiam de senatoribus ius dicendi fuisse. — Hadriano imperante, quum princeps ipse longum imperii temporis spatium foris versaretur, illud principis consilium plurimum valuisse facile est intellectu. Quum autem praetoriani eorumque praefecti secundum principem paulatim plurimum coepissent valere, fieri non poterat, quin ipsi praefecti praetorio, praesertim absente imperatore, consilio praeessent. — Hadriani exemplum imitata est, ut iam diximus, Mamaea, quum secundum Herodianum (l. l.) sedecim ex senatorio ordine viros praestantissimos delegit assessores ac consiliarios imperatoris. Huic Herodiani loco contrarius videtur esse locus Lampridii in Alex. (c. 16.), ubi scriptor Alexandrum nihil statuisse refert, nisi adhibitis in consilio viginti iuris peritis ac sapientibus viris iisdemque disertissimis non minus quinquaginta. Et reapse Casaubono in annotatione ad hunc Lampridii locum numerus consiliariorum memoratus ab Herodiano

suspectus videtur, quoniam mirum sit, quod e tanto numero eorum, quos secundum Lampridium (l. l.) in consilio Alexander adhibuerit, solos arcessitos esse sedecim e senatorio ordine. Sed amplissimus ille vir putasse mihi videtur, consilium illud, de quo Herodianus mentionem facit, necessario idem fuisse, quod Lampridius commemorat. Si Casaubonus mihi persuasisset rem ita se habere, plane cum eo consentirem. Hoc vero quomodo probari potest? An adulto iam Alexandro consiliarios fuisse negas, si Herodiani perlegis librum sextum, ubi ab Alexandro rem cum amicis communicatam,[1]) deliberationem habitam cum[2]) amicis traditum est? idemque saepissime refert Lampridius. Nihil igitur obstat, quominus consilium illud, cuius mentionem facit Lampridius, ad adultum iam principem referendum esse videatur. Quis est autem qui neget, aliter hoc consilium principio imperii Alexandri, aliter post spatium sex vel decem annorum compositum esse potuisse, praesertim quum illud quod Herodianus memorat consilium non ab ipso imperatore, sed a Mamaea arcessitum fuisse constet? Non est igitur probanda haud dubie Casauboni ad Lampridii illum locum sententia, quam paucis iam impugnavit Reimarus ad Dionem (LCCC, 1.). In hoc consilio a Mamaea constituto omnia, quaecunque ad imperii administrationem pertinebant, tractata atque ordinata esse Herodianus refert (VI, 1.) neque dissentit ab eo Dio qui dicit (LCCC, 1.) „ἅπαν πρακτέον κοινουμένη (sc. Mamaea) αὐτοῖς id est συμβούλοις.“ Hanc imperii faciem ex contumeliosa tyrannide redactam ad optimam optimatium gubernationis formam fuisse perutilem omnibusque admodum placuisse non difficile est ad intelligendum et comprobatur

---

[1]) Cf. Herodian. VI, 2.

[2]) Idem VI, 5.

ab Herodiano (l. l.). Idque eo magis factum esse liquet, quoniam princeps huius consilii exstitit Ulpianus, vir et iuris peritissimus et integrae probitatis atque iustitiae, cuius potissimum de administrando imperio consiliis usus est Alexander.[1])

Multa alia, quae tractentur, dignissima restant, quae Alexandro Severo imperante domi sunt acta; quomodo vitam optimus princeps egerit privatam, quas leges quaeque instituta fecerit, quae exstruxerit aedificia, omnia haec in otiosius tempus differam. Ad expeditiones Alexandri bellicas transgredior, quippe in quibus narrandis maxime inter se pugnantia atque diversa et veteres scriptores memoriae tradiderint, et recentiores partim hunc, partim illum auctorem sequentes mire inter se discrepent. Sic autem rem aggrediendam esse existimavi, ut primum, quaecunque veteres scriptores litteris tradiderunt de Alexandri bellis, in medium proferam; deinde, ut penitus eruere possimus, cui veterum scriptorum fides sit habenda, de fontium auctoritate fusius aliquanto quaerendum erit. Quo facto recentiorum scriptorum sententias in disceptationem vocabimus, ut videamus, cuius sint momenti ad confirmandas aut refutandas veterum narrationes. Age rem aggrediamur.

VII.

Alexandri bellum contra Persas gestum.

Dum Alexander Severus in pacis negotiis diligenter versatus aerumnis et vitiis, quae in republica Romana inerant, quoquo

---

[1]) Cf. Lamprid. in Alex. c. 26. 67 et alias.

modo mederi studet, in oriente novus exstitit Romanorum hostis, quocum Alexander mox in discrimen vocatus est. Artaxerxes enim quidam, dubio et fortasse humili loco natus, quum devictis Parthis eorumque rege caeso imperium a Parthis ad Persas transtulisset, omnibus vicinis barbaris subiectis in Mesopotamiam, quae sub Romanorum erat ditione, incursiones fecit; quin etiam Syriam omnemque Europae oppositam regionem se recuperaturum minitatus est, quae terra quondam inde a Cyro usque ad Darium, extremum Persarum regem, in potestate fuerat Persarum. Artaxerxes autem semet ipsum e gente illorum Persarum regum oriundum esse dixit, quapropter legitimum illarum terrarum se esse heredem. [1]) Quae ubi Romam nuntiata sunt, teste Herodiano Alexander haud mediocriter turbatus est. Itaque ei placuit ad Artaxerxem legatos mittere, quae Augusti et Traiani et Lucii et Severi admonebant tropaeorum, quo facilius spem barbari principis inhiberent, ne quid ille rerum novarum moliretur. Verum stimulabatur barbarus impellebaturque ad imperium propagandum eo, quod omnia etiamtum ab illo incepta bene ei processerant, et Romanorum legatis re infecta dimissis maiore etiam studio ad bellum incumbebat. Tum vero Alexander — ut omnia deinceps repetam, quae Herodianus de hoc bello litteris consignavit — haud mediocrem ad bellum parandum diligentiam adhibendam esse ratus, ex omnibus provinciis delectus haberi iussit cunctorum, qui arma ferre poterant, ita ut motus ingens toto exsisteret imperio. Ubi omnes in campum convenerunt, oratione habita excitati et largiter donati pecunia magnis itineribus per Illyricum, unde quoque delectus habebantur, Antiochiam contenderunt. Ibi Alexander, quae belli usus postulabat, magna comparavit

---

[1]) Cf. Herodian. VI, 2 u. Dio LCCC, 3.

diligentia. Legatis, quos iterum ad barbarum miserat, frustra dimissis quum iam in eo esset, ut in hostium fines exercitum duceret, milites quidam ex Syria et Aegypto acciti ab illo defecerunt et res novas moliri ausi sunt, qui statim deprehensi et supplicio sunt affecti. Quo facto, re cum amicis communicata exercitum, quantus haud impar hostibus esse videbatur, in tres partes sic distribuit, ut unam partem per Armeniam iter facientem incursare iuberet in Medorum regionem, alteram ad orientem versus per barbarorum fines proficisci, ubi Tigris et Euphrates confluentes densissimis excipi paludibus dicuntur ob eamque causam fluviorum illorum egressus latere. Tertiam vero partem eamque valentissimam imperator semet ipsum medio inter utramque partem itinere contra barbaros adducturum pollicebatur. Ita enim existimabat diversis itineribus de improviso et inopinató hostes se oppressurum esse, barbarosque Romanis ingruentibus separatim semper occursantes imbecilliores fore nec pugna feliciter decertare posse. Quod quidem consilium prudentius erat ratione quam eventu felicius. Nam, qui iussus erat exercitus per Armeniam iter facere, superatis aegre regionis illius montibus maxime praeruptis — quamquam aestas iter faciebat tolerabilius — impetu quidem in Medorum regionem facto multisque incensis vicis atque aedificiis praedam abegit. Qua re cognita Persarum rex, quantum potuit, tulit auxilium, nec vero Romanos prorsus arcere potuit, quoniam Persarum equitatus in regione plena montium asperrimorum non multum valebat. Artaxerxes autem ubi certior factus est in parte orientali Parthiae alium Romanorum exercitum conspici, metuens, ne Romani rebus apud Parthos facile labefactatis in Persas invaderent, relicto ad Medos tuendos praesidio, ipse cum reliquis copiis ad orientis partes magnis itineribus contendit. Ibi Romanorum exercitus nullo resistente

negligentius iter faciebat, praesertim quum arbitrarentur, Alexandrum maxima copiarum parte in medios barbaros impetum fecisse ob eamque rem ipsis tutius iter atque otiosius futurum esse. Sed haec spes eos fefellit. Neque enim Alexander exercitum in hostium fines adduxit, incertum proprione metu, an quia mater seu ex muliebri pavore seu ex nimia in filium caritate eum retinuerit, ne ipsius vita periclitaretur de Romanorum imperio. Itaque nihil prohibebat Artaxerxem, quominus copiis omnibus Romanos in Parthiae orientalem partem ingruentes, quasi intra retia undique conclusos, de inopinato adoriretur omnemque profligaret perderetque exercitum quamvis fortiter resistentem. Ingens haec calamitas ubi primum Alexandro est nuntiata, statim imperator Antiochiam reverti consilium cepit; nam et ipse et omnis fere exercitus gravissime aegrotabat maximeque Illyricorum milites impatientes coeli illius aestuosi.

Itaque alterum in Media versatum exercitum redire iussit, qui quidem in montibus atque algidis regionibus maximam partem periit. Et ipse Alexander multos de exercitu suo morbo amiserat, ita ut e tripertito illo exercitu plurimi interierint morbo, ferro, frigore; quod quidem omnibus maximo erat moerori, dedecori autem Alexandro. Qui Antiochiam reversus ubi facile convaluit, elargiendis pecuniis militum animos sibi conciliavit copiasque instauravit atque comparavit omnia, quasi iterum in Persas exercitum ducturus esset. Nuntiatum autem est Antiochiam, copias ab Artaxerxe esse dimissas. Barbari enim quamvis in orientali parte Romanorum milites profligassent et ad unum omnes sustulissent, tamen plurimi ipsorum caesi erant et saucii, quum Romanorum legiones non ut imbelles victae essent, sed magnis cladibus hostem afflixissent; neque praeterea parvam calamitatem Persae acceperant crebris in Medos excursionibus. Insigne

autem barbarorum calamitatum illud est argumentum, quod triennio quieverunt nec in armis fuerunt. Qua re cognita Alexander securus Antiochiae commorabatur, donec nuntius de Germanorum expeditionibus bellicis ei est allatus. — Haec est illius expeditionis summa, quam affert Herodianus (VI, 2—7).

Longe aliter hanc rem nobis tradidit Lampridius, unus ex scriptoribus historiae Augustae. Qui quum in vita Alexandri iam a capite 50. hanc expeditionem describere instituisse videatur, diligentiorem descriptionem earum rerum affert, quibus Alexandri disciplina militaris adumbratur. Cap. 55. summam expeditionis in medium profert paucis his verbis: „Magno apparatu inde in Persas profectus Artaxerxem, regem potentissimum, vicit, quum ipse Alexander cornua adiret, milites admoneret, sub ictu teli versaretur, manu plurimum faceret, singulos quoque milites ad laudem adduceret. Fuso denique fugatoque tanto rege, qui cum septingentis elephantis falcatisque mille et octingentis curribus ad bellum venerat, equitum multis millibus statim Antiochiam rediit et de praeda, quam Persis diripuit, suum ditavit exercitum, quum et tribunos ea quae per vicos diripuerant, et duces et ipsos milites habere iussisset. (Cap. 56.) Post hoc Romam venit triumphoque pulcherrimo acto apud senatum primum haec verba habuit. Ex actis senatus die VII. Kal. Octobr.: „„Persas vicimus. . . . . Terras Interamnas, Mesopotamiae scilicet, neglectas ab impura illa bellua recepimus. Artaxerxem potentissimum regem tam re quam nomine fusum fugavimus, ita ut eum terra Persarum fugientem videret, et qua ducta fuerant quondam signa nostrorum, ea rex ipse signis effugerit relictis. etc. etc.““ Addit scriptor (c. 57.): „Haec nos in annalibus et apud multos reperimus. Sed quidam dicunt a servo suo eum proditum non vicisse regem, sed ne

vinceretur fugisse. Quod contra multorum opinionem dici, non dubium est iis, qui plurimos legerint. Nam et amisisse illum exercitum dicunt fame, frigore ac morbo, ut Herodianus auctor est contra multorum opinionem."

Haecce fontes primarii de hoc bello litteris consignarunt, priusquam autem horum fontium auctoritatem accurate examinemus, restat, ut posteriores quoque rerum scriptores, qui de hac Alexandri expeditione memoriae tradiderunt, vocemus in iudicium. Sed longum est omnia horum verba in medium proferre neque videtur operae pretium esse, quum Latini scriptores, ut Victor,[1]) Eutropius[2]) aliique, Lampridium secuti, iisdem fere verbis, quibus scriptor historiae Augustae, splendide Alexandrum vicisse narrent, quumque omnino scriptorum historiae Augustae sequi consueverint vestigia, nullo saepe rerum iudicio, nullo explorandae veritatis studio, omni fere carent momento. — Quod vero scriptores historiae ecclesiasticae, ut Eusebius[3]) aliique, de eventu huius belli cum Lampridio potius quam cum Herodiano videntur consentire, minime est mirandum. Etenim quoniam hi scriptores uno omnium consensu memorant, Alexandrum admodum favisse Christianis, omninoque multi sunt in huius principis laudibus, facile fieri potuit, ut illi praesertim in re plane dubia ad eos inclinarent auctores, qui eum in hoc bello superiorem fuisse tradiderunt. — Graeci autem scriptores, qui res haurire ex Herodiani libris solent, ut Zonaras,[4]) Cedrenus,[5]) in Herodiani sese recipiunt castra. Zosimus

---

[1]) De Caes. c. 24.

[2]) Breviar. VIII, 14.

[3]) Chronic. ad. a. 225 (Hieron. interpr.)

[4]) Zon. XII.

[5]) Cedr. p. 450 ed. Bonn.

vero nihil omnino de expeditione tradit et Krebsius [1]) causam huius silentii esse putat, quod Zosimi aetate scriptorum de Alexandri victoria sententiae tam certae et dilucidae fuerint, ut ille unam solam Herodiani auctoritatem sequi non sit ausus. Quasi vero unus solus Alexandri cladis auctor fuerit Herodianus! Lampridius, cui Krebsius maximam de hoc bello tribuit auctoritatem, ipse quoque hoc negare mihi videtur. Illius enim verba supra allata: „Sed quidam dicunt, a servo suo eum proditum non vicisse regem, sed ne vinceretur fugisse“ — ut nullam rationem habeamus vocabuli: „quidam“ — non quadrant in Herodiani huius belli descriptionem; nam de hoc servo nihil habet Herodianus. Quae autem addit scriptor: „nam et amisisse illum exercitum dicunt, etc.“ ea sola ad Herodianum referenda mihi videntur; certe ad haec sola verba spectat illud Lampridii: „ut Herodianus auctor est.“ Unus de Graecis historicis Alexandro tribuit victoriam de Persarum rege reportatam, Georg. Syncellus, hisce verbis: „Πέρσας καταδραμόντας Καππαδοκίαν καὶ Νίσιβιν πολιορκοῦντας Ἀλέξανδρος ἐξώθησεν;“ [2]) quae verba ob nimiam brevitatem haud magni sunt momenti. — Quae omnia de posterioribus historicis collata quum minoris sint momenti quam ut fusius in iudicium vocentur, nunc quaestio exoritur, utri maior fides in describendo bello Persico sit habenda, Lampridio an Herodiano, qua de re uberius aliquanto disputabitur.

Quodsi omnino horum scriptorum auctoritatem spectas, maiorem sine dubio fidem habendam esse nemo negabit Herodiano, qui litteris tradidit visa a semet ipso atque audita,

---

[1]) Cf. Ios. Krebs de Severi Alexandri bello contra Persas gesto. Duesseldorf 1847. p. 10.

[2]) Cf. Syncelli chronogr. p. 357 D. ed. Dindorf vol. I.

nonnulla item experiundo cognita.[1]) Veritati etiam studuisse, id quod in praefatione historiae pollicitus est,[2]) in ipsa historia ubique videmus. Itaque iam Capitolinus in Clodio Albino (c. 12.) Herodianum plurima ad fidem tradidisse dicit, et Fr. A. Wolfius, vir ille amplissimus et sagacissimus:[3]) „Magni aestimanda est Herodiani fides ac studium veri et laudatur haec virtus eius a multis historiae peritis.“ Hic scriptor ubicunque veritatem plane eruere non potest, certis significat verbis, aliorum opiniones a se pronuntiari, id quod pluribus adumbratum est a Krebsio in dissertatione supra citata (p. 13 et 14.). At enim sunt, qui quamvis Herodianum veritatis studiosum esse profiteantur, in Alexandri tamen rebus describendis eius fidem nutare dicant. Quam sententiam iam profert Capitolinus, et ipse unus de scriptoribus historiae Augustae, in Maximino (c. 13.): „Herodianus, Graecus scriptor, qui ei (scil. Maximino), quantum videmus, in odium Alexandri plurimum favit.“ Photius quoque veritati Herodianum studuisse dicit, nisi quod fides eius nutet in Alexandro et Maximino.[4]) Sed Casaubonus, quod eius fuit ingenium et magna animi sagacitas, ad locum illum Capitolini diserte annotavit, nihil esse causae, cur Capitolini hoc iudicium magni faciamus, idemque plane sentit Fr. A. Wolfius (l. l.): „Scilicet Maximino eum (sc. Herodianum) in odium Alexandri nimium favisse scribit Capitolinus, cuius auctoritate crimen nititur. . . . Nihil vidit profecto, qui ita existimaret, aut Herodiani de utroque narrationem oscitanter legit oculisve occaecatis. Nam ut Thracii pastoris avaritiam,

---

[1]) Herodian. I, 2.

[2]) Herodian. I, 1, 3 μετὰ πάσης ἀληθοῦς ἀκριβείας.

[3]) In praefat. ad Herodian. edit. p. XLVII.

[4]) Cf. Io. Ger. Voss. de histor. Graecis II, 15.

nobilium odium, saevitiam, duce latronum digniorem quam imperatore vitam bona fide memorat, ita Alexandrum, Mamaeae filium, cuius imbecillitatem isti coloribus mitis sapientiae extollunt, leviter magis quam inique tractasse mihi videtur, ut si quis eum dicat propter Elagabali recens odium successori plus aequo favisse, multo libentius assenserim etc."

Ut alia omittam, unum Herodiani locum profero: „*Τοῦτο δ'ἄν τις μόνον ἔσχεν ἐγκαλέσαι αὐτῷ, ὅτι δὴ ὑπὸ περιττῆς πραότητος καὶ αἰδοῦς πλείονος ἢ ἐχρῆν τῇ μητρὶ ἐν οἷς ἀπηρέσκετο, ὅμως ἐπείθετο.*" [1]) Inde nonne facile apparet tantum abesse, ut Herodianus in describendis rebus Alexandri odio adductus iniquum in eum se praestiterit, ut laudes illi impertierit haud mediocres. Quam vero iuste et inique in describenda Maximini historia egerit, dilucide ostendunt eius verba, quibus omne illius imperium amplectitur: „*τοιούτῳ μὲν δὴ τέλει Μαξιμῖνος καὶ ὁ παῖς αὐτοῦ ἐχρήσαντο δίκας πονηρᾶς ἀρχῆς ὑποσχόντες.*" [2]) Quoniam igitur in Herodiani historia nihil reperitur, unde in Alexandrum eius odium colligi potuerit, Capitolini illa verba omnem prorsus fidem desiderare mihi videntur, nisi forte ad ea tantum, quae de bellicis Alexandri expeditionibus Herodianus narrat, sunt referenda. Res si ita se habet, testem habemus cum Lampridio de Persico bello consentientem; quae quidem res quam exigui sit momenti, facile apparet, quod scriptores historiae Augustae ex iisdem plerumque fontibus res narratas pariter hauserunt. [3])

Quoniam autem de Herodiani auctoritate eiusque fide

---

[1]) Herodian. VI, 1, 24.

[2]) VIII, 5. extr.

[3]) Cf. Dirksen, Theil 2, Einleitung §. 3 und sonst.

satis disputavimus, Lampridium nunc inducemus. Qui quidem scriptor quum inter scriptores sex vel quatuor historiae Augustae numerandus sit, ad eum quoque pertinet grave illud Heynii iudicium:[1] „Instituì coeperat ista nuda expositio eventorum nullo explorandae veritatis studio, nullo dilectus iudicio, nullo dignitatis personae, quam sibi scriptor imponeret, sensu." Et profecto si quis oscitanter Alexandri vitam a Lampridio descriptam perlegerit, facile ei persuadebitur, quam recte illustris ille vir iudicaverit. Equidem persuasum habeo, Lampridium, qui illam vitam scripsisse fertur, nullo prorsus modo dignum esse historici nomine. Quae enim ante omnia in historico esse debent, sincerum atque sagax iudicium et studium veri atque fides, in illo plane desiderari facile apparet. Ne multa repetamus loca, quibus eum iam supra perstrinximus, ad illud mihi pro se quisque acriter intendat animum, quod ille profert in capite 57: „Nam et amisisse illum exercitum dicunt fame, frigore, ac morbo, ut Herodianus auctor est contra multorum opinionem." Sine dubio spectant haec verba ad Herodiani locum (VI, 6, 4): *„τῶν τριῶν μοιρῶν τοῦ στρατοῦ ὧν ἔνειμε τὸ πλεῖστον ἀποβαλόντι διαφόροις συμφοραῖς, νόσῳ, πολέμῳ, κρύει."* Lampridius hoc Herodiani loco videtur legisse *λιμῷ* pro *πολέμῳ*, quam observationem Casaubono debemus.[2] Verum si quis oculis occaecatis legerit, quae de bello Persarum ab Alexandro gesto Herodianus litteris consignavit, maximopere ei mirum videbitur, quomodo Lampridium codices sui decipere potuerint. Etenim quum Herodianus paulo ante hunc locum fuse narraverit, ut demonstravimus, tertiam exercitus partem,

---

[1]) Heyne: censura sex scriptorum histor. Aug. in opusc. acad. VI, p. 56.

[2]) Cf. Casaubon. in annot. ad Lamprid. in Alex. c. 56.

quam ad orientem versus per barbarorum agros contendere Alexander iusserat, quasi intra retia undique conclusam ab Artaxerxe profligatam et ad exitium vocatam esse — de fame nihil memorat scriptor — alterum de duobus esse necesse est, ut Lampridius aut omnino Herodiani historiam non legisse, aut sive per negligentiam sive per animi exiguitatem codicis sui errorem non cognovisse nec emendasse videatur. Optimo igitur iure aut indecorae sane historico negligentiae ac securitatis eum arguo, aut nullum in eo iudicium, quod historico est necessarium, fuisse putaverim. Neque studium veri apud Lampridium in Alexandri vita describenda desiderari negaverim, quum scriptor nimium ad Alexandri laudes proclivis esse videatur. Reperimus necem Ulpiani, rem nescio an maxime in Alexandri vita memorabilem, omitti plane ab hoc scriptore, ne quid vituperandum in Alexandri imperio videatur, quamvis iuris peritissimum illum saepe in discrimen vocatum, sed servatum esse ab Alexandro narret. Maximi vero sunt momenti pauca Dionis verba, ex quibus insolentiam militum Alexandro imperatore tantam fuisse facile apparet, quantam nunquam antea. Ceterum Lampridius de Alexandri disciplina militari adeo non diversa, sed „*ἐκ διαμέτρου*" quod aiunt pugnantia cum Dione memoriae tradit. Ad quod intelligendum evolvas velim in Alexandri vita caput XII, LII, LIII, LIV aliaque multa; quin etiam tantam, ut vidimus, Alexandri in disciplina militari fuisse severitatem Lampridius auctor est, ut inde ei nomen inditum sit Severo. Ergo scriptor Alexandri vitae nimium multus in Alexandri laudibus non Herodiano soli repugnat, verum etiam Dioni, *αὐτόπτῃ* et *αὐτηκόῳ* scriptori maximae auctoritatis atque fidei. Itaque probabilis admodum mihi videtur Gibboni sententia, Alexandrum a Lampridio fingi, non qualis fuerit, sed qualis optimus prin-

ceps esse debeat.[1]) Quoniam igitur pluribus ostendisse, nullo prorsus modo scriptorem Alexandri vitae dignum esse nomine historici, praecipueque eius fidem suspectam reddidisse mihi videor, exigui est momenti, num Lampridius e Dexippo sua omnia hauserit, sicuti quidam putant, id quod neque demonstrari neque omnino reprobari potest, vel e Mario Maximo, historicis magnae, ut putatur, auctoritatis – quamquam de eorum pretio recte diiudicari non potest, quod pauca admodum exstant fragmenta — vel ex aliis historicis, Alexandro aequalibus, itaque hanc rem plane missam faciamus. — Quae quum ita sint, quis est qui neget, magnam omnino fidem habendam esse Herodiano, Lampridio exiguam vel potius nullam?

Restat igitur, ut quaeramus, num, quamvis Herodianus polleat auctoritate, ipse tamen narrationis contextus suspicionem admittere videatur, quasi ille in explicandis belli Persici rebus temere atque minime accurate egerit. Sunt reapse, qui Herodiani narrationem de hoc bello secum ipsam pugnare affirment. Krebsius (l. l. p. 17) primum omnium Herodiani auctoritatem in dubitatione ponendam esse censet ex rebus chronologicis, quas de hac expeditione ille affert. Sic enim argumentatur: „Anno decimo quarto Alexander nuntium illum (sc. de incursione Persarum) accepit, exercitus eius magna pars interiit frigore; porro ex oriente imperator, postquam Antiochiae aliquamdiu deliciis se dedit, proficiscitur contra Germanos, et tamen Herodianus Alexandrum post regnum quatuordecim annorum interfectum refert. Duos hic errores in constituendis temporis rationibus reperimus: non solum regni Alexandri annos usque ad exortum contra Sassanidas bellum Herodianus falso exhibet, verum etiam in enarrandis

---

[1]) Cf. Gibbon. l. l. p. 132 Anm. 80.

temporum rationibus sibi ipsi dissentit. Inde intelligere possumus, quam nulla eius de Alexandri vita notitia fuerit, quantaque negligentia huius imperatoris vitam conscripserit. An nobis persuasum habebimus Herodianum ex industria temporis rationem ita, non aliter dedisse? Concessa vero hac opinione, Herodiani certo non liquet consilium. Falsos autem numeros ostendunt et ea, quae in ipsis sibi repugnant, et alia praeterea certaque testimonia a doctissimis viris allata." [1])

Concedo non modo ex aliis certisque testimoniis, verum etiam e contextu Herodiani ipso apparere evidentissime, falsos esse numeros. Sed quaerendum diligenter puto, utrum error ipsi Herodiano an librariis, qui in numeris facile labuntur, imputandus esse videatur.

Pagius in critica ad Baron. annales eccles. (tom. II p. 484 ed. Luc.) illum Herodiani locum corruptum esse censet, sed ipse in mirum incidit errorem; quamobrem verba eius proponam: „Non modo verba *τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει* corrupta sunt, quae Politianus addititia esse existimavit, sed et priora, quae annum decimum tertium notant. Certum enim est, Herodianum annos tantum 14 Alexandro attribuere. Quomodo ergo scribere potuit, bellum Persicum anno 13. aut 14. Alexandri inchoatum esse, quum infra c. 6 §. 11 dicat barbaros triennio aut quadriennio post illud bellum quievisse ac postea Alexandrum relicto oriente in Germanos movisse. Quo posito non annos 14 sed 18 Alexander imperasset. Non dubium ergo, quin pro *τεσσαρεσκαίδεκα* ponendum sit *ἑπτά*."

Sed Herodianus (VI, 6, 11) nihil aliud dicit nisi Persas triennio quievisse nec in armis fuisse. Num autem Alexander per hoc triennium Antiochiae commoratus sit, minime liquet ex verbis Herodiani. Huius enim verba (l. l. par. 1):

---

[1]) Cf. Tillemont. l. l. tom. III p. 458 sq. Eckhel doctr. num. vet. III.

„ἅπερ μανθάνων ὁ Ἀλέξανδρος καὶ οὗτος ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ διέτριβεν,“ haud dubie spectant ad priora: „ἀπήγγελτο δὲ καὶ ὁ Πέρσης λύσας τὴν δύναμιν etc.“, non ad haec: „δεῖγμα δὲ τοῦτο οὐ μικρὸν τῆς βαρβάρων κακώσεως· ἐτῶν γοῦν τριῶν ἢ τεττάρων ἡσύχασαν etc.“ (par. 11), quae verba scriptor rerum narrationi interiicit.

Atque ridiculum plane videtur, si Alexander, quamdiu omnia in oriente pacata erant, ibi versatus esset; redintegrato autem bello domum revertisset. Reiecto igitur Pagii argumento nostram proponamus ratiocinationem.

Verba Herodiani, ad quae omnis haec spectat disputatio, haec sunt: „Ἐτῶν μὲν οὖν τρισκαίδεκα οὕτως, ὅσον ἐπ' αὐτῷ, τὴν βασιλείαν ἀμέμπτως διῴκησε· τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει ἀφνιδίως ἐκομίσθη γράμματα etc.“ Secundum ipsum Herodianum [1]) Alexander post regnum tredecim vel quatuordecim annorum a militibus est interfectus. Inde apparet, si ab Herodiano ipso hunc numerum traditum putamus, eum nobis persuadere voluisse, intra unius anni spatium legatos ad Persas Roma missos esse et infecta re rediisse; ab Alexandro deinde ingentes copias esse congregatas indeque iter per Illyricum in Asiam confectum; Antiochiae copias in rebus bellicis instructas omniaque comparata esse, quaecunque ad ingens illud bellum necessaria videbantur, dum legati iterum ad Artaxerxem mittuntur; tum expeditionem illam, quam exposuimus, factam deindeque omnem exercitum recreatum esse; tum vero nuntiis allatis Alexandrum ad Rhenum ex Asia properasse, bellum movisse contra Germanos ibique a militibus occisum esse. Haec omnia, quae, quamvis properata, vix intra spatium duorum vel potius trium annorum fieri poterant, decimo quarto regni Alexandri anno facta esse He-

[1]) Cf. Herodian. VI, 1 et 9, 5 et 15.

rodianus tradit. „Magna igitur negligentia, ut Krebsius argumentatur, Herodianus huius imperatoris vitam conscripsit," sed tanta, equidem puto, quanta incredibilis prorsus esse videatur. An vero putas Herodianum, cuius in omni historia non ingenium modo, verum etiam industria et sollertia uno omnium consensu est illustris, adeo temere atque absurde hic se gerere potuisse? Itaque quum animo meditarer, qui forte fieri posset, ut error in hunc irrepserit Herodiani locum, verba: *ἐτῶν μὲν οὖν τρισκαίδεκα οὕτως, ὅσον ἐπ' αὐτῷ, τὴν βασιλείαν ἀμέμπτως διῴκησε*, librariis ansam dedisse mihi persuadebatur. Herodianus, qui rotundis semper numeris imperatorum regnis annos assignare consuevit, Alexandri imperio modo tredecim annos ut apparet ex loco (VI, 1): *εἴς τε τεσσαρεσκαιδέκατον γοῦν ἐλάσας τῆς βασιλείας ἔτος ἀναιμωτὶ ἦρξεν*, modo quatuordecim attribuit, sicuti alius eius ostendit locus, ubi Alexandrum interfectum commemorat (VI, 10, 15): *„βασιλεύσαντα* (sc. Alexandrum) *ἔτεσι τεσσαρεσκαίδεκα, ὅσον πρὸς τοὺς ἀρχομένους, ἀμέμπτως καὶ ἀναιμωτί."* Alium Herodiani locum (VI, 9 par. 5) ubi Alexandri imperio quatuordecim anni assignantur, nullius esse momenti, facile inde apparet, quod scriptor loquentem facit Alexandrum, cuius plurimum intererat ad confirmandos militum animos quam diutissime regnasse. Quae quum ita sint, persuasum habeo, Herodiani verba supra allata (VI, 2) nihil aliud significare nisi tredecim omnino annos Alexandrum optime imperium gessisse. Scriptor enim in explicandis Alexandri rebus ita se gerit, ut primum de Alexandri natura et indole eiusque leni imperio disputet, deinde ad rés bellicas transgrediatur.

Tractatis autem illis rebus priusquam ad bellicas transeat, congregat in unum, quae sunt dicta, adiicitque tempus, quo omnino Alexandri virtutes floruerint, his ipsis verbis,

quae in disceptationem vocavimus: *Ἐτῶν μὲν οὖν τρισκαίδεκα οὕτως, ὅσον ἐπ' αὐτῷ, τὴν βασιλείαν ἀμέμπτως διῴκησεν.*

Librarii vero forte minime cogitabant, his verbis omne imperii spatium significari posse, quod locis supra allatis quatuordecim anni regno Alexandri assignarentur; itaque insequentem numerum, qui forte erat *δεκάτῳ* vel *ἑνδεκάτῳ ἔτει*, falsum et corruptum esse putabant, videlicet quod secundum numerorum ordinem decimus tertius annus excipiatur a decimo quarto; quare errorem in hunc locum intulerunt. Initio quiquidem cogitabam, hanc coniecturam refutari verbo: „*ἀμέμπτως.*" Quoniam enim omnis Herodiani historia demonstrat, ab Alexandro nullam gloriam, ignominiam vero nonnullam ex utroque eius bello suscepto, maxime autem Persico reportatam esse, non putabam ab Herodiano omne Alexandri imperium dici potuisse *ἄμεμπτον.* Sed rem ita se non habere evidenter ostendit locus ante commemoratus (VI, 9, 5): „*ὑφ' ᾧ βασιλεύοντι τεσσαρεσκαίδεκα ἔτεσι ἀμέμπτως βεβιώκεσαν,*" quae verba Herodianus loquentem facit Alexandrum, quando iam seditio militum prope Rhenum contra principem exorta erat; multoque evidentius alius Herodiani locus (VI, 10, 15), ubi dilucide refert, Alexandrum per omne imperii spatium regnasse *ἀμέμπτως καὶ ἀναιμωτί*; itaque tantum abest, ut significatio illa: „*ἀμέμπτως*" coniicere prohibeat, numerum: *ἐτῶν μὲν τρισκαίδεκα* (l. l.) referendum esse ad omne Alexandri imperii spatium, ut hanc coniecturam reddat probabiliorem, quod eadem significatione reliquis locis utitur historicus, ubi Alexandri imperii annos numerat. — Quae quum ita se habeant, errorem in verbis Herodiani de constituendo belli Persici tempore: „*τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει ἀφνιδίως ἐκομίσθη* etc." librariis imputandum esse arbitror, non historico accuratissimo. Dubium igitur admodum mihi videtur, num iure Krebsio ex hoc loco efficere liceat, maxima

negligentia Alexandri vitam conscriptam esse ab Herodiano nullamque eius de Alexandri vita notitiam fuisse.

„Nec minus, addit Krebsius, (p. 18) atque in rebus chronologicis, ita in geographicis, quas de hac expeditione affert, est mirus,“ (sc. Herodianus) atque pluribus deinde demonstrare conatur, Herodiano illas regiones in oriente sitas in quibus bellum gerebatur, parum accurate cognitas fuisse.

Concedo, quod iam monet [1]) Tillemontius, Herodianum sequi in explicandis belli Persici rebus geographiam sibi incognitam. Sed quo tempore Herodianus fuit, geographica diciplina praecipueque cognitio extremi orientis partium non talis, qualis nunc, viguit, nec mirum videtur, si Tillemontius accuratiorem orientis terrarum cognitionem prae se fert quam Herodianus. [2]) Itaque, quum nulla Herodiani in rebus geographicis sit auctoritas, omnem omnino ei negare auctoritatem absurdum est, praesertim quum ignarum cognitionis regionum illarum se ipse prodiderit. Ubi enim de confluentibus Euphrate et Tigride mentionem facit, caute addit vocabulum: „λέγουσιν“ (VI, 5). In reliquis autem explicandis belli Persici rebus, atque etiam, ubi de eventu eius belli refert, unam solam sententiam totus secutus est certisque verbis prodit, Alexandrum cum ignominia quasi quadam Antiochiam se recepisse.

Exigui praeterea est momenti ad confringendam Herodiani auctoritatem, quod Krebsius argumentatur (p. 23.): „Si clades revera accidisset, qualem Herodianus tradidit, imperatorem morti nullo prorsus modo eripi potuisse, quum

---

[1]) Tillemont. l. l. III, p. 465.

[2]) Nonnulla sane in geographico genere protulit Herodianus, quae acriter castigaverunt Fr. A. Wolf (l. l. p. 53). Reimar. l. l. LXXV, 10 et alias.

ad reconciliandos militum animos multa opus fuisset vi pecuniarum, quam nisi splendidissimis victoriis Alexander comparare non potuisset." Sed tamen, etiamsi incredibili Elagabali luxuria aerarium plane erat exhaustum, nonne nimia Mamaeae parsimonia, de qua saepe Herodianus et ipse Lampridius [1]) mentionem faciunt, eiusque prudenti pecuniarum administratione per spatium decem annorum — decimo enim Alexandri regni anno bellum Persicum inchoatum est, ut infra docebimus — repleri potuit aerarium? Mihi igitur probantur, quae Herodianus refert (VI, 6.): Statim ipse convaluit et milites recreabat atque eorum moestitiam consolabatur elargiendis pecuniis, nec prius ab hac opinione recedendum puto, quam argumentis probabilioribus magisque luculentis demonstretur, nullo prorsus modo satis pecuniarum Alexandro esse potuisse, unde reconciliaret militum animos, quod quidem difficile mihi videtur ad probandum.

At enim mirantur admodum, qui Lampridium sequuntur, in iisque Krebsius (p. 24 ff.), quod Artaxerxes si superior e bello decessisset teste Herodiano, destiterit ab armis neque secundo Marte perfecerit, quae minatus erat. Sed cur hoc sit factum, pluribus causam affert Herodianus, ut supra ostendimus praecipueque eam ponendam esse dicit in re militari Persarum, qua in re cum Herodiano plane consentit Dio, qui (LXXVIII, 27.) refert, Artabanum praecessorem Artaxerxis, quamquam victoriam de Macrino reportasset, haud invitum pacem iniisse, „quod milites eius ex longa temporis mora, quo domo praeter consuetudinem abfuissent et ex annonae penuria, quam neque ipsi paratam et instructam habebant — non enim providere commeatum solent — neque .... (lacunae signum) .. in castellis esse cognoverant, graviter

---

[1]) In Alex. c. 59.

indignarentur." Praeterea pars Persarum militum crebris in Media Parthiaque proeliis gestis ceciderat, multi erant attriti et sanciati, ut fuse Herodianus narrat (VI, 6.), qui subiungit, Romanos non ut imbelles devictos, sed ipsos quoque interdum hostibus exitiosos fuisse. Quantopere vero etiam victus hostis debilitare potuerit victorem, insigni est exemplo Pyrrhus, qui de duobus proeliis victor egressus exclamavit: „Ἂν ἔτι μίαν μάχην Ῥωμαίους νικήσωμεν, ἀπολούμεθα παντελῶς." [1])

Exiguo vero copiarum numero opus fuisse Artaxerxi, ut, quae minitatus erat, factis ostenderet, quod quidem persuasum habet Krebsius (p. 25.), minime concedendum esse censeo, si animo mecum reputo, valentissimam Alexandri exercitus partem nusquam cum hoste conflixisse, et ab Alexandro novas Antiochiae congregatas esse copias, neque etiam dubito, quin iterum Alexander in Persas irrupisset, nisi ab Artaxerxe copias dimissas esse nuntius allatus esset.

Ita Herodianus minime incredibilia neque inter se pugnantia de hoc bello memoriae tradidit.

Quod autem attinet Lampridii testimonium reportatae de Persis victoriae, eius narrationem secum ipsam non pugnare Krebsius prae se fert (p. 27.). Id vero num ullius sit momenti, audacter negaverim. Etenim si quis pauca admodum de eventu aliquo refert, quomodo eum, quod non contraria nec inter se pugnantia narraverit, magni aestimare possumus? Attamen ex paucis illis Lampridii de hoc bello verbis effici posse existimo, non vera eum tradidisse. Refert enim, (c. 55.) Artaxerxem cum septingentis elephantis falcatisque mille et octingentis curribus, equitum multis millibus ad

---

[1]) Cf. Plutarch. in Pyrrh. c. 21.

bellum venisse. Gibbonus,[1]) vir ille magno praeditus ingenio, iam dubitandum esse putat, num potentissimus unquam in oriente princeps aciem septingentorum instruxerit elephantorum. Plinius[2]) quidem regi Gangaridarum elephantos DCC in procinctu bellorum excubuisse dicit, et plures etiam assignat huic regi Diodorus[3]) Siculus. Verumtamen nullus exercitus, de quo certa sunt tradita, quod equidem sciam, reperiri potest, cui tot elephanti fuerint, quot Lampridius in Artaxerxis exercitu fuisse memorat. Iure igitur in suspicionem Lampridius venit maximam, ne splendidiora tradiderit quam veriora.

At profitetur[4]) ipse, ex publicis se ea, quae narrat, hausisse annalibus nec aliter posse sentire eum, qui plurimos legerit. Non in animo est Lampridium arguere, quasi sibi ipse acta publica finxerit, quum eius narratio testimonia habeat numos, quorum plurimos Eckhelius enumerat (l. l. p. 274 sqq.). Sed quid prohibet negare, Alexandrum omnia quae acta fuerant accurate senatui rettulisse? „Perspecta eius in omni vita moderatio ac prudentia,“ inquit Eckhelius (l. l. p. 276.). Nescio an moderatio, minime vero prudentia; immo haec potissimum postulavit, ut Alexander, quamvis inferior de bello decessisset, victorem se praestaret omnibus, ne omni clade patefacta Romanorum animi contra se sollicitarentur. Atque etiam secundum Herodiani historiam dubito an iure quasi quodam victorem se appellaverit solitisque ornatus sit honoribus. Etenim quamquam eius copiae magna ex parte partim ferro, partim morbo et frigore perierant,

---

1) l. l. c. VIII, Anmerk. 49.
2) H. N. VI, 19.
3) Diodor XVII, 93.
4) Lamprid. in Alex. 56.

evenit tamen, ut Artaxerxes non posset, saltem non auderet perficere, quae minatus erat, sed armis depositis intra fines se haberet; ob eamque rem quis negat iure quasi quodam Alexandrum triumphasse? Facile autem fieri potuit, ut scriptores posteriorum temporum acta publica sequentes memoriae traderent, Alexandrum e bello Persico discessisse superiorem. Herodianum vero, quod eius magnum erat veri studium, ex iis ipsis, qui expeditioni adfuerant, amicis fortasse et coniunctis secum, rem omnem repetiisse verisimile est, itaque si non ex videndo, at ex audiendo scripsit, neque dubito, quin omnis expeditionis illius narratio vera ac sincera ei delata [1]) sit; neque enim hominum est minimeque vero militum decora sua tacere facinora vel etiam e victoria fingere cladem.

Iam vero quis est qui neget, in historia bonorum amabiliumque principum — atque inter eos suo iure numerandus est Alexander — fieri semper, ut res gestae in maius augeantur, praesertim studio aulicorum, dissimulatisque incommodis magnificentius quam verius praedicentur? sicuti ex diverso invisum publice principem seu bene, seu male facta premunt. Ubi vero terrarum opportunius hoc fieri poterat, quam in hoc bello Persico describendo? Res procul Roma in extremis orientis partibus actae erant; exercitus ille per Armeniam in hostium fines ingredi iussus feliciter decertaverat; denique etiamsi magna Romanorum pars ferro, pars morbo et frigore perierant, tanta tamen Persis illata erant

---

[1]) Herodianus quidem non commemorat, triumphasse Alexandrum. Coniicere licet, Herodianum tum Romae non commoratum esse neque ei certam de triumpho fuisse notitiam. Quomodocunque id se habet, quis putat hac una re omissa omnem Herodiani auctoritatem confringi posse, quum optimo cuique historico idem interdum evenerit?

damna, ut ab armis quiescerent neque bellum redintegrarent. Quid tandem mirum, quod ab ipso Alexandro, quamvis minime eius negem animi moderationem, victos esse Persas Romam nuntiatum est? quid mirum, quod studio aulicorum res eius in maius auctae facile in eam fictae sunt speciem, quae nobis in Lampridii huius belli narratione occurrit?

Restat, ut recentiores quoque inducam viros historiae peritos, ut planum fiet, quid de hoc bello senserint. Ac primum Schlosserus putat,[1]) Alexandrum in plurimis rebus superiorem fuisse, sed a matris nimio amore atque timore prohibitum esse, ne ad finem usque rem perduceret; sed consilio eius atque auctoritate quum exercitus reductus esset, multos periisse; tantas vero Persis illatas esse calamitates, ut per triennium ab armis quiescerent. Renovato deinde bello Romanos quidem victores discessisse, sed litteras ea de re ad senatum missas ridiculum in modum compositas esse. Non video causam, cur ita vir doctissimus sentiat; infra, ubi de tempore huius belli disputabimus, hanc sententiam plane reiiciendam esse dilucide efficiam.

Gibbonus, scriptor sagacitate et gravitate clarissimus, qui aequiore, quam quis alius, et laudes et reprehensiones Alexandri expendisse mihi videtur, Herodianum omnino est secutus, et ipse non intelligens, unde probari posset, hunc auctorem inter se pugnantia tradidisse, et haud ignarus, in Lampridio auctoritatem esse nullam.[2])

Eandem fere sententiam secutus est Niebuhrius,[3]) vir ille peritissimus Romanorum rerum gestarum, sed ulterius

[1]) Schlosser: Universalhistor. Uebersicht der Geschichte der alten Welt. III, 2, p. 64.

[2]) Gibbon l. l.

[3]) Cf. Niebuhr's roem. Vorles., herausg. von Schmitz, uebersetzt von Zeiss. (Bd. 5, p. 374.) Iena 1845.

etiam progreditur. Alexandrum putat cum Artaxerxe pacem iniisse iis conditionibus, ut magna pars Romanarum provinciarum, quae in oriente sitae erant, in Persarum veniret potestatem. Sed hanc sententiam et ipse videtur Herodianus impugnare, et certis verbis Agathias (p. 259 ed. Bonn.) dicit, Saporem, qui Artaxerxi successit, Mesopotamiam, finitimam Persarum regno provinciam, invasisse; id autem factum est Gordiano III. imperante, neque notum, ut ipse profitetur Niebuhrius, ante hunc Gordianum inde a regnante Alexandro rursus bellum motum esse inter Romanos et Persas; quo efficitur, hoc bello Persico, de quo disputamus, non venisse Mesopotamiam in ditionem Persarum.

Wietersheimius, qui quidem vir omnia, quae ad Germaniam attinent, diligentissime exposuit, aliis tamen rebus minorem dedit operam, vitiose Herodianum [1]) interpretatur, quasi de tripartito exercitu ipsa valentissima pars ductu Alexandri pugna decertaverit et terga verterit clade accepta. Deinde ex causis, quas iam supra refutavimus, Herodianum perstringere videtur, tamquam si ille inique in Alexandrum egerit; mox vero in castra Herodiani transgressus eandem fere sententiam prae se fert, quae exstat in Herodiani huius belli narratione, ita ut in animo haesisse videatur, quemadmodum res esset explicanda.

Ut Weberum [2]) omittam, qui Herodianum omnino est secutus, nuper Krebsius libellum conscripsit de Alexandri expeditione contra Persas facta fusiusque de fontibus primariis huius belli disputat. [3]) Sed dum Herodiani narrationem

---

[1]) Ed. v. Wietersheim, Geschichte der Voelkerwanderung. Bd. 2. Leipzig 1860, p. 222 ff.

[2]) Weber: Allgem. Weltgeschichte. Leipzig 1863. 4. Bd. p. 461 ff.

[3]) Krebs l. l.

quoquo modo reiicit allatis causis, quas magna ex parte ante refutavimus, Lampridii auctoritatem pluris aestimat eumque secutus Alexandrum splendida victoria reportata superiorem ex hoc bello discessisse arbitratur. Sed iam probabilibus, ut equidem puto, argumentis satis docuisse mihi videor, quam indignus sit Lampridius nomine historici, eiusque belli Persici potissimum narrationem maximopere in dubio ponendam esse.

Adeo igitur non veterum solum, verum etiam recentiorum historicorum sententiae discrepant, ut, quae alteri placent, alteri maxime contraria de hoc bello esse videantur. Causae vero, quae antea sunt uberrime allatae, nos quidem impellunt, ut Herodiani sequamur auctoritatem, sicuti Gibbonus, Niebuhrius aliique. Dio, qui merito vera excutientibus facem praeferre debuit, nihil de Alexandri in hoc bello rebus gestis refert. Fuerunt, qui Dionem vituperarent admodum, quod Alexandrum, quem pro meritis in ipsum illustribus praedicare vel maxime debuisset, illaudatum relinqueret. Mira profecto sententia nec video, unde probari possit. Probabilius mihi videtur, quod ea de re Reimarus [1]) disputat: „Deserit Dio argumentum et de eventu belli tacet; forte quod vivo Alexandro haec scribens nolebat minus secunda et imperatori parum honorifica commemorare. etc.“ Non in animo est ea de re uberius disserere, quoniam pro certo dici non potest, quando quaque conditione Dio historiam suam ad finem perduxerit. Id vero ex reliquiis libri eius ultimi dilucide apparet, in magno favore eum fuisse apud Alexandrum, nec dubitari posse arbitror, quin ille haud invitus mentionem fecisset de Alexandri victoria, si id ei licuisset.

---

[1]) Reimar. adnot. ad Dion. LXXX, 3.

De anno quoque, quo Alexander hanc expeditionem susceperit, mire inter se discrepant scriptores. Ac primum in errorem incidit Eusebii chronicon Hieronymo interprete (ad annum 225.), in quo hoc bellum secundo Alexandri imperii anno assignatur his verbis: „Alexander Xerxem, Persarum regem gloriosissime vicit.“ Sed in hoc scriptores consentiunt omnes, primis Alexandri regni annis omnia in imperio pacata fuisse. Inter omnes praeterea constat, Persarum regnum ab Artaxerxe conditum esse, quo tempore Alexander quintum iam imperii annum attigerat;[1] quo igitur modo fieri potuit, ut imperator secundo imperii anno Persarum regno bellum inferret?

Herodianus hoc bellum anno XIV. regni Alexandri erupisse refert (VI, 2); sed iure licet coniicere, hunc Herodiani locum esse corruptum, ut fuse iam ante demonstratum est.

Ex recentioribus Pagius bellum Persicum iam anno 229 inchoatum esse putat,[2]) atque causam, cur ita factum esse arbitretur, affert tum ex Herodiani tum ex Dionis verbis. Ubi enim Herodianus tradit, triennio vel quadriennio barbaros quievisse ab armis, Alexandrum autem commoratum esse Antiochiae, Pagius scriptorem interpretatur, quasi per tres vel quatuor annos post bellum gestum imperator Antiochiae degerit. Quum autem ad res comparandas ad bellum necessarias et ad bellum ipsum gerendum duo saltem anni opus fuerint, Alexander necesse est quinque per annos in oriente egerit; at anno 235. eum ad Rhenum versatum esse constat; ergo anno 229. in orientem profectus est. — Recte id quidem, excepta mira illa et ridicula Herodiani interpretatione,[3])

---

[1]) Cf. Agathias ed. Bonn. p. 259.

[2]) Pagius l. l. p. 492 ff:

[3]) In eandem huius loci interpretationem incidisse mihi videtur

quam supra reiecimus. Nec minus feliciter Pagius in discrimen vocat Dionem, quasi hic in extrema historia, quam ad annum usque 229. perduxit, initia iam huius belli tradiderit. Sed Dio Artaxerxis consilia tantum et imminentia ab hoc Romanis pericula, non bellum ipsum ab Alexandro cum Persis gestum commemorat. Praeterea refert (LXXX, 4.) Alexandrum cum praetorianis anno 229. et Romae et postea in Campania versatum esse, neque usquam mentionem facit, res quas usus belli postulat comparatas esse. Inde dilucide apparet, non ante annum 229. et verisimiliter ne hoc quidem anno Alexandrum in orientem esse profectum.

Tillemontius[1]) aliis multis et luculentis Pagium perstringit argumentis et ipse belli initium anno 232. vel 233. tribuit.

Mirum, quod marmor exstat nullum, quod ad bellum Persicum seu ad Alexandri triumphum attinet. Itaque nisi ex numis peti non potest, quod volumus; atque hoc iam factum videmus ab Eckhelio.[2]) Qui quum numos, quos Pagius ad sententiam suam affirmandam profert, reiecerit, quod unus eorum in nullo reperitur museo, alter quoque nemini nisi Pagio videtur esse cognitus, tertius autem ad processum Alexandri consularem referendus est: ipse ad annum U. C. 986., h. e. 233. p. Chr. numum affert inscriptum: P. M. TR. P. XII. COS. III. P. P. Imperator paludatus in quadrigis conspicitur triumphalibus. Anno autem 229. Alexander consul III. processit una cum Dione; quum igitur hic typus consularem Alexandri processum significare nequeat, ad trium-

Schlosserus; quare sententia eius de hoc bello ante allata a vero haud dubie aberrat.

[1]) Tillemont. artic. 24; not. VIII in Alex. l. l.

[2]) Eckhel. l. l. p. 274 ff.

phum referendus est ad eumque quidem, quem Alexander de Persis egit; neque enim ullum alium triumphum ab Alexandro actum esse constat. Itaque quoniam secundum hunc numum anno iam 233. Alexander triumphavit, Tillemontii reiicienda est opinio, hoc forte anno Alexandrum in orientem contendisse. Quin etiam non est verisimile, Alexandrum anno iam 232. in orientem profectum esse, quia inter hanc eius profectionem et triumphum actum duorum vel potius trium annorum spatium interiectum est, sicuti ex Herodiani historia liquet. Equidem igitur existimo anno 231. Alexandrum Roma in orientem iter fecisse et anno 233. rediisse atque triumphasse. Neque probabile mihi videtur, quod Eckhelius (l. l.) admittit, numum illum triumphalem non eodem anno cusum, quo triumphatum, sed anno sequente, et renovari in hoc numo memoriam triumphi anni praecedentis. Neque enim mihi videtur verisimile, triumphum Alexandri iam anno 232. actum esse, quum et Herodianus et Lampridius bello Persico confecto statim bellum Germanicum ab Alexandro susceptum esse consentiant. Herodianus enim refert (VI, 7.) Alexandrum, Antiochiae etiamtum commoratum, quum certior factus esset de seditionibus Germanorum, statim ad Rhenum contendisse. Nec minoris ad confirmandam hanc sententiam momenti verba Lampridii mihi videntur, quae senatus acto triumpho adclamavit ad orationem imperatoris: „Per te victoriam de Germanis speramus." (In Alex. 56.) Ergo tum bellum cum Germanis iam erat exortum. At constat, ut videbimus, paucos admodum menses in hoc bello versatum esse Alexandrum; quoniam autem anno 235 periit in Germanorum bello gerendo, initio anni 235. vel iam anno 234. ad hoc bellum profectus est. Absurdum vero putare mihi videtur, anno iam 232. Germanos rebellasse et in Galliam

excursiones fecisse, biennio autem post demum contendisse contra eos imperatorem.

VIII.

De Alexandri bello Germanico.

Confecto bello Persico Alexander Antiochiae urbis deliciis vacabat, quum repente nuntius ei allatus est per Illyrici praefectos, Germanos Rhenum et Istrum transgressos Romanum intrare atque devastare imperium, neque iis Romanorum exercitus utriusque fluvii ripis insidentes resistere posse, praecipueque Illyricas gentes, Italiae finitimas, in magno esse periculo.[1] Germani postquam contra Caracallam bellum gesserunt anno 213 p. Chr., per viginti annos ab armis quieverunt. Sed haec ipse tranquillitas gentem bellicosam et semper novarum rerum avidissimam impellere poterat, ut vicina loca rursus infestarent. Ad hoc accedit, quod paucae admodum legiones Alexandro imperante ripis Rheni erant impositae, id quod ex Dione colligimus (LV, 23 et 24). Ubi enim Dio numerum legionum, quae sub Augusto fuerant, indicat, oblataque hac occasione eas recenset, quae suo ipsius tempore h. e. Alexandro regnante substiterant, tres tantum legiones ad universum Rhenum excubuisse profitetur. Praeterea quum ex Gallis tum ex Illyricis Alexander ad bellum contra Persas gerendum ingentes congregaverat[2]) copias ita-

---

[1]) Cf. Herodian. VI, 7.

[2]) Cf. Herodian. VI, 3 u. 4.

que numerum legionum ad Rhenum Danubiumque hiemantium sine dubio valde diminuerat.

Quodsi quis animo perpendit, qui tum fuerit status Germaniae populorum, non mirum ei videbitur, quod formidolosiorem speciem, quam unquam antea, Germania tum induerat. Namque tum plures Germaniae gentes, sublatis inter se pristinis discordiis, in unam societatem foedere icto coierant, ut a Romanis libertatem defenderent, assumpto nomine Alemannorum. Etenim quamquam Herodianus (l. l.) hostes Romanorum nominat Germanos neque alia Lampridius (l. l. c. 59) utitur significatione, dubitari tamen non potest, quin cum Alemannis confligendum fuerit Alexandro. Caracallam iam cum Alemannis pugnasse refert Aelius Spartianus (in Caracalla c. 10), qui Alemannici nomen sibi Caracallam adscripsisse dicit, quod Alemannorum gentem devicisset. Dio quoque memorat (LXXVII, 13, 14) Caracallam contra Alemannos profectum esse [1]). Inter omnes [2]) autem constat, iisdem regionibus bellum a Caracalla adversus Germanos gestum esse, quibus Alexandro eiusque successori erat decertandum. Neque vero mirum videri licet, quod Herodianus non usus est potius vocabulo Alemannorum; obscurum enim erat Herodiani tempore hoc nomen et penitus fere ignotum, quod dilucide colligi potest ex hisce Vopisci verbis: „Non nihil tamen Gallis profuit, sc. Proculus; nam Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, ... contrivit.“ (in Proculo tyr.) Proculus autem Alexandro iam mortuo regnum affectavit.

Itaque non dubium videri potest, quin Alexandro decertandum fuerit cum Alemannis. Idem plane mecum sentit

---

[1]) Cf. Rospatt: Die Vertheidigungskriege der Roemer am Rhein. Koeln 1847, p. 4.

[2]) Cf. Wietersheim l. l. p. 235.

Wietersheimius (l. l. p. 235), qui alia nonnulla affert argumenta ad comprobandam hanc sententiam. Quae quum ita se habuerint, ingens Romanis imminuisse periculum quis non videt, praesertim quum Alexander haud dubie florem Romanae iuventutis partim in bello Persico amisisset, partim procul Roma reliquisset in Asia. Inde magnus Romanorum pavor, quem vides ex verbis Herodiani, qui et ipsum imperatorem et amicos iam metuisse de ipsa Italia refert (VI, 7), idemque mihi videtur apparere ex Lampridii verbis: „Imminebat reipublicae cervicibus ea natio, quae semper etiam minusculis imperatoribus subiecta videbatur (l. l. 59). Nonne scriptor his dictis aperte fidem facit, Germaniam formidolosiorem tum induisse speciem? — Vix igitur de seditionibus Germanorum fama ad imperatorem Antiochiae deliciis urbis vacantem pervenerat, quum relictis in oriente praesidiis statim cum reliquis copiis domum petiit. Herodianus non commemorat, Alexandrum ex oriente Romam revertisse ibique paulisper commoratum esse, sed secundum eius verba imperator recta via magnis itineribus factis ad Rhenum contendit ibique ad bellum gerendum omnia comparavit (VI, 7). Sed res Herodianum fefellit, ut ante dictum est; imperator enim Romam reversus triumphum egit splendidissimum.

Mirum praeterea videtur, quod Herodianus nullam facit mentionem de iis Germanis, qui secundum eundem auctorem Danubium transgressi periculum ipsi Italiae minari videbantur. Itaque Wietersheimius putat,[1]) Herodiani verba: „relictis copiis quantas satis fore arbitrabatur tutandis Romanorum ripis" etc. (VI, 7) ad Danubium, non ad Euphratem referenda esse. Sed non video, quomodo contextus ipse hanc interpretationem admittere videatur. Constat quidem, ut ante dixi-

[1]) Wietersheim l. l. p. 232.

mus, Alexandrum non recta via ex oriente ad Rhenum properasse, sed prius Romae commoratum triumphum de Persis egisse. Sed ita equidem existimo, Germanos Danubium transgressos prius pulsos et bellum ab hac parte confectum fuisse, quam imperator ex oriente advenit. Ut ita sentiam, commorent me verba Lampridii: „Actae sunt res feliciter . . . . in Illyrico per Varium Macrinum, affinem eius, (sc. imperatoris) (l. l. c. 58). Alexander ipse si seditiones Germanorum, qui ad Danubium habitabant, bello compressisset, Lampridius, scriptor ille nimium proclivis ad huius imperatoris laudes, hanc illius victoriam sane non reticuisset. Postquam autem Alexander triumphavit, nisi ad Rhenum ei bellum non erat gerendum, quod quidem colligi potest quum ex omnibus, qui de hoc bello mentionem faciunt, scriptoribus, tum ex Herodiani verbis: „ἐπέστη ταῖς τοῦ Ῥήνου ὄχθαις (sc. Alexander) καὶ τὰ πρὸς τὸν Γερμανικὸν πόλεμον παρεσκευάζετο.“ (Herod. l. l.). Alexander magnis copiis — Lampridius (l. l. 59) numerat per centum et quinquaginta millia — contra Germanos profectus est. Teste Herodiano (l. l.) in exercitu erant Armenii, Osdroeni, Parthi multi; hae copiae leves et expeditae Germanis intra silvas ac paludes facilius quam legiones cladem inferre poterant. Proeliis quoque dimicatum esse cum Germanis, ex hisce Herodiani verbis facile apparet:[1]) „Atque copiae levis armaturae, quas Alexander ex oriente secum duxerat, iaculis sagittisque instructae magnopere infestasse videntur Germanos, qui quidem, ubi collata acie res gerebatur, persaepe haud impares abibant Romanis.“ Wietersheimius (l. l.) dubitari posse arbitratur, num Lampridii verba (in Alex. 58): „Germanorum vastationibus Gallia diripiebatur,“ referenda sint ad Galliam Cisrhenanam, quod Germania

[1]) Herod. l. l.

prima cis et ultra Rhenum etiamtum Gallia dicta sit. Sed omnem dubitationem tollunt Herodiani verba supra iam allata, Germanos Rhenum et Istrum transgressos Romanorum vastare imperium. Alexandro autem seu quod bellum parum prospere procedebat, seu quod praesertim ob infelicem belli Persici eventum dubiam belli fortunam iterum experiri nolebat, visum est legatos de pace ad Germanos mittere; omnia se praebiturum pollicebatur, quae postularentur, maximeque pecunias, quarum avidissimi erant Germani.[1]) Milites autem molestissime ferebant imperatoris ignaviam et indignabantur admodum, quod Alexander emere pacem quam bello periclitari mallet. Ita quum militum animos magis magisque a se abalienasset, factum est, ut post imperium tredecim annorum seditione militum orta una cum matre trucidaretur. Erat in exercitu Maximinus quidam Thrax, quem iam antea in re militari excellentem Alexander cunctis exercitus tironibus praefecerat. Quae res imperatori fuit exitio. Nam quum ob ignaviam imperatoris murmur inter milites et odium Alexandri exortum esset, milites, quorum animos tum praeclara corporis forma, tum experientia rei militaris singulari Maximinus sibi conciliaverat, seditione contra imperatorem mota ad Maximinum defecerunt. Ita rem tradidit Herodianus (VI, 8 et 9). Capitolinus quidem in Maximino (c. 8): „Et causam quidem Alexandri interimendi alii aliam fuisse dicunt. Quidam enim dicunt, Mamaeam auctorem fuisse, ut filius deserto bello Germanico Orientem peteret, atque ideo milites in seditionem prorupisse.“ Lampridius, qui quidem scriptor huic imperatori non patitur illam inhaerere ignominiam, causam tantae in principem suum perfidiae hanc militibus fuisse tradit (c. 59 l. l.), quod illi imprimisque Gallicanae mentes

[1]) Idem VI, 7.

post lene Elagabali imperium severitatem eius ferre noluerint.

Quomodocunque se ea res habet, legiones non assuetae tam longo tredecim annorum imperio fortasse desiderabant largitiones, quas novus imperator distribuere consuevit, illectique praecipue donis, quae Maximinus aut dedit aut promisit, Alexandrum e medio sustulerunt. — Ita princeps optimus periit, in quo praeter nimium matris amorem, ut auctor est Herodianus, nihil reperitur, quod vituperari possit, nisi quod non erat bonus ac fortis dux militum, quem tempora illa postulabant.

Ubi Alexander cum matre occisus sit, dissentiunt scriptores. Eusebii [1]) et Cassiodori [2]) chronica consentiunt, Alexandrum Moguntiaci tumultu militari trucidatum esse, idemque refert chronicon [3]) Alexandrinum. Lampridius imperatorem periisse Sicilae dicit, [4]) qui vicus secundum alios in Britannia, secundum alios in Gallia fuerit, eumque fere ad verbum secutus est Victor de Caesaribus (c. 24) nisi quod verba: „ut alii volunt in Gallia" omittit. Sed ridiculum plane videtur, quomodo Lampridius isque, qui coeco impetu eum sequitur, Aurelius Victor, fieri potuisse existimaverint, ut Alexander tum bellum gerens cum Germanis in Britannia interficeretur. — Eutropius in breviario suo historiae Romanae (VIII, 4) necem imperatoris in Gallia perpetratam esse memorat. Herodianus quoque locum caedis silentio transit, ita tamen, ut omnia ad Rhenum peracta esse haud obscure indicet.

---

[1]) Euseb. chr. ad a. 237.

[2]) Cassiod. chr. ad a. 235 ed. Hauris. Heidelberg 1743 p. 239.

[3]) Chron. Alex. ed. Rader Monachii 1715 p. 1715 p. 627.

[4]) Lamprid. in Alex. c. 59 »agentem eum in Britannia, ut alii vount in Gallia, in vico, cui Sicila nomen . . . . occiderunt.«

Sunt, qui Sicilam eodem loco sitam fuisse putent,[1]) quo nunc positum est „Sicklingen.“ Lehnius autem verisimile esse demonstrare conatur,[2]) Sicilam nihil aliud esse nisi Bretzenheim nostrum, non longe situm a Mogontiaco. Pro certo autem haberi potest ex iis, quae diximus de hoc bello, Sicilam in Gallia fuisse sitam non longo a Mogontiaco intervallo.

De tempore, quo Alexander bellum adversus Germanos gesserit, nihil certi apud scriptores reperimus. Neque tamen dubium videtur, quin anno 234 et 235 cum Germanis pugnatum sit. Etenim quum Alexander post triumphum, quem anno 233 actum esse supra ostendimus, ad bellum Germanicum profectus sit, verisimillimum videtur, hoc bellum anno 234, ubi anni tempus postulavit, inchoatum esse. Germanos autem iam anno 233, quo triumphus actus est, in armis fuisse, ex Herodiano[3]) colligi potest, ut vidimus, praecipueque ex acclamationibus, quas Lampridius refert (c. 56 l. l.): „Per te, (sc. Alexandrum) victoriam de Germanis speramus.“ Anno 234 Alexander usque ad Rhenum videtur processisse pontemque iunctis inter se navigiis fecisse; hieme vero de pace cum Germanis egisse. — Sunt, qui Alexandri mortem usque in autumnum anni 235 differendam esse censeant. Quorum argumenta in speciem saepe gravia pluribus refutavit Eckhelius,[4]) vir ille de chronologia imperatorum Romanorum optime meritus, ex eiusque disputatione manifesto liquet, Alexandri necem non posse longius quam fere sub mensis

---

[1]) Mascou, Gesch. der Deutsch. I. Th. p. 158 Anm. 2.

[2]) Cf. Lehne im Rhein. Archiv nach H. Luden, Gesch. des deutsch. Volkes. Gotha 1826 Bd. 2 p 81.

[3]) Herod. VI, 7.

[4]) Cf. Eckhel. l. l. p. 282—4.

Iulii principium differri. Tillemontius [1]) quoque necem Alexandri, ne temporum historia perturbetur, primis anni 235 mensibus reponendam esse multis probat causis. Nec habeo, quae luculentis horum argumentis adiungam.

Herodianus quidem rotundis numeris, ut ante dictum est, modo tredecim, modo quatuordecim annos Alexandrum regnasse memorat. — Secundum Lampridium (l. l. c. 60.) imperavit Alexander annos 13 dies 9; ergo si die XI. mensis Martii, quod supra probatum est, ad imperium accessit, eodem mense interierit necesse est.

Recentiores plerique scriptores mense Martio Alexandrum interfectum esse statuunt, quos compendio citato invenies apud Mazzolenum animadv. in mus. Pis. Part. II, p. 146. [2])

Pro certo autem haberi posse existimo, ex omnibus rebus, quas de hac Alexandri expeditione scriptores tradunt, verisimillimum fieri, vix per unius anni spatium in bello Germanico versatum fuisse Alexandrum.

---

[1]) Tillemont. l. l. not. XI. in Alex.

[2]) Cf. Eckhel. l. l. p. 282.

Corrigenda.

Pag. 6, lin. 13, 14 lege sic-ut pro si-cut.
» 9, lin. 22 lege in pro n.
» 11, lin. 1, 2 lege dis-crepant pro di-screpant.
» 21, lin. 4 lege ante pro aute.
» 24, lin. 20 lege Augustus pro Augustum.
» 28, lin. 15 lege qui pro quae.
» 28, lin. 16 lege admonebant pro ad monebant.

Index.